

Sebastian Schmidt Friedrich Samuel Geroldt


**Disputatio Solennis, De Duabus Circa Sacramentum Circumcisionis
Propositionibus : Quarum prior, Circumcisio est foedus Domini; posterior,
Circumcisio est signum foederis Domini**

Argentorati: Thilo, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788066366>

Druck Freier  Zugang






75.



Fa - 1092 (rs)



75.

1. 20
2. -
3. -
4. -
5. -
6. -
7. -
8. -
9. -
10. -
11. -
12. -
13. -
14. -
15. -
16. -
17. -
18. -
19. -
20. -
21. -
22. -
23. -

Tomo hęc. **XXVIII** continentur:

1. Seb. Schmidii Commentarius in L. Ep. Iohannis B. 1688.
2. — Anal. et Paraph. Epistolę Iacobi Argent. 1685.
3. — De Fide chloaica circa Myst. S. Trinit. 1654.
4. — De Deletionę i libro Vita. 1655.
5. — De Inramentic. ad Matt. V. et. xxiii, eb. Argent. 1663.
6. — Inuectivum Chnshi in Phanscor Exlu Matt. xv. 1661.
7. — De Didrachmis a Chnsto solutic. 1663.
8. — Fide miraculosa. 1680.
9. — De Ficu a Chnsto arefacta, 1662.
10. — De Merito. 1663.
11. — ad locum Jo. VIII, 25. 1661.
12. — ad locum Jo. VIII, 47. 1661.
13. — Resolutio brevis Cap. IX ad Rom. 1658.
14. — De Primitiv Resurrectionis Chnsto. 1666.
15. — De Baptismo Super Mortuic. 1656.
16. — De Angelic in genere. 1662.
17. — De Peccato Origine. 1657.
18. — De libero Hom. Arbitrio in Spiritualibg. 1658.
19. — De libero Hom. Arbitrio in non Spiritualibg. 1657.
20. — *Ἔκθεσις ἡθροῦν ἡμαρτων*. 1661.
21. — De Imputatione in opere Iustificat. 1656.
22. — De Phrasi Indurare. et excecicare. 1655.
23. — De Ecclesia Catholicismo. 1657.

- * 24. Sebast. Schmidig de Quabz circa Sacram. Circumcis.
Propositionibz. 1654.
25. —. De Statu Beatorum in Vita eterna 1675.
26. —. De Obligatione Form. Concordia. 1680.
27. —. Tractatq̄ Talmud. Sebastian. cūsmot. 1662.
28. Jo. Bissmuntz De Circumcisione Zippore. 1663.
29. —. De Eli Uli Lamah Sabartani. 1663.
30. —. An Christus Annū Paschalem eodem cum Ind. tem.
pore egerit. 1674.
31. Balthasar Raithig de Cabala ^{Tulay.} 1662.
32. Guilielmus Bayer de Præda Robusto exerta Ina. 1660.
33. Jo. Feickti Expositio Oraculi Ysaiani LIII. Argent. 1662.
34. Balth. Scheid de Protevangelio. Argent. 1650.
35. —. Jonæ Propheta expositus. 1665.
36. —. Kikajon Jonæ. 1653.
37. —. ad caput ultimum Ultimi Propheta. 1664.
38. Lud. Hennig Munsteri Animalia esu vetita.
Gene. 1687.
39. Zentgraf prolix. de eo quod Deum dicit. Arg. 1677.
40. Georgi Calixti Expositio literalis Epiphesior.

Pro M. Jo. Philippo Storrio
1696. Heilbr.

24.

30.

29.

28.

31.

27.

32.

26.

33.

4.

כב

DISPUTATIO SOLENNIS,

De

DVABVS CIRCA
SACRAMENTVM CIRCUM-
CISIONIS PROPOSITIONIBUS,

Quarum prior,

Circumcisio est foedus Domini;

posterior,

Circumcisio est signum foederis

DOMINI:

Quam

SUB PRÆSIDIO

SEBASTIANI SCHMIDT, SS.

Theo. Doct. Profes. Ordinarii &
Ecclesiast.

Defendendam suscipiet

FRIDERICUS SAMUEL GEROLDT,
Argentin.

Mens. Septemb. d. 14. Horis locog solitis.

ARGENTORATI,

Ex Museo Chalcograph: JACOBI THILONIS,


ANNO M. DC. LIV.

V I R I S
Nobilitate Generis, Authoritatis Eminentia,
Prudentiæ Lumine, Benignitatis Gratia, ceterorumq;
Meritorum Amplitudine

ILLVSTRIBVS
Dn. JOH: CHRISTOPHORO à DRAXDORFF,
Dn. JOHANN: JACOBO MEIERO,
Dn. JONANNI WENCKERO,
Reip. Argentinensis, Patribus, Prætori, Consularibus,
Ttedecim Viris, Academiæ Cancellario & Scholarchis
optime meritis.

3.
V I R I S
*Plurimum Reverendis, Amplissimis, Exeellentissimis
Clarissimis,*
Dn. JOHANNI SCHMIDIO, S. Th. D. P. Conv. Eccl.
Præsidi, &c.
Dn. JOHANN: HEINRICO BOECLERO, Historico
Celeberrimo, &c.
Dn. BALTHASARI FRIDERICO SALTZMANNO,
S. Theol. Licent. Ecclesiast.
Dn. MARTINO GROSIO, Summi Templi Pastori,]

ILLIS
Boni civis obsequia
HIS
Boni discipuli observantiam
submissa devotione
Solenni hac Disputatione
dat, dicat, offert.
Fridericus Samuel Geroldt
Arg. Resp.



Præstantisf. Dn. Respondenti.

Gens vaga, gens errans, gens circumcisa, sed eheu!
Excisa, & cælis nunc exclusissima, HEBRÆI!
Ad Semi revocate gradus tentoria; Noster
Præluetque, præitque, viam monstratque GEROLDUS.

F.

Iob. Conradus Dannhauer D.

Præstantissimo & Doctissimo

Dn. Respondenti meo.

Miror eos crebrò, quotquot *mysteria tanta*
Sacramentorum nil nisi signa putant.
Miror, & ingenue meliorem exopto subinde
mentem: utq; admittant sobria sensa piè!
Vsq; adeò ipsorum nullo sententia pugnat
cum fundamento: nec sacra scripta juvant.
Ex his Tu planum, quàm circumcisio vanè
jactetur, thesibus, doctè Gerolde, dabis.

Præses.

Præstantissimo Domino

FRIDERICO SAMUELI GEROLDO,

Felix auspicio es facti, GEROLDE laboris,
Cui princeps gemina lampade fulget honor.
Si magnis placuisse aliquid; quæ gloria nomen.
Horum primitiis inseruisse suum?

Boni ominis causa scribi.

Robertus Koenigsmannus, Eloq. Prof.

Ad

30.

29.

28.

27.

26.

3

2

39.

4

❧ ❧

*Ad Præstantissimum & literatissimum Dominum
Respondentem, amicum per dilectum.*

Quis hoc putasset, amice mi dulcissime,
Christo facer pietate, facer industriâ,
Præcocis ingenii profectus optimos
Nunc exhibes, solenniter dum disputas,
Conatus est laudabilis, res ardua:
Quam verus es pii Parentis æmulus.
Jesum precor, cujus studes Tu gloriæ,
Fœcundet is, secundet omnia studia.

Votum tui & manus

*M. Abrahami Fischeri, Argent.
Pastoris in Hürtigheim vnd
Handtschuch.*

Eruditissimo Domino Respondenti.

3.
Dum stolidum nimia trepidat formidine vulgus
Atq; tenebrosâ tectum caligine Phabum,
Nescio quid, temerè sngit; portendere diri,
Inq; ipso inquirat ruituri tempora mundi,
Ausu sat vetito; Melior Te cura, Gerolde,
Nobiliusq; tenet studium; Tu sacra revolvis
Dogmata, Legifero quondam cantata Prophetæ,
Fœdusq; exponis, fidei quo plenus Abraham
Jussus erat pueros genitalem in parte notare,
Quotquot ab illius ducebant semine stirpem.
Matte! probant cæpta hæc sua per suffragia Docti,
Teq; Patri similem virtutis imagine dicunt.

*Meliori mente, quàm metro
scr.*

Joh. Jacob Reussner,

❧ (o) ❧

30.

29.

28.


25.

3

2

39

4



כב

DISPUTATIO SOLENNIS,

De

Duabus circa sacramentum

Circumcisionis propositionibus.

Quarum

I. Circumcisio est foedus Domini.

II. Circumcisio est signum foederis Domini.

PROOEMIUM.

§. PRIMUS.



Alviniani, quibuscum nobis gravissima de re sacramentaria controversia est, ultra seculum agitata, adeoque notissima, omnibus viribus in hoc incumbunt, ut, multis ex Veteri Testamento pro sua sententia fulcienda allatis testimoniis atque locutionibus, fidem eidem aliquam faciant circa sacramenta N. T. in primis tamen ipsis placet analogia sacramentorum utriusque T. Exaequant itaque Sacramenta omnia, nec in iis veram per ea factam coelestis gratiae bonorumque exhibitionem concedunt: deinde nuda signa constituunt exhibitionis istius, suo tempore praestitae vel praestandae, non omnibus & singulis, qui sacramentis utuntur, aut ea recipiunt, sed iis tantum, quibus

A

quibus præstare ex absoluto æternitatis decreto visum est. Cui rei probandæ duplex labor infumitur: prior est, ut ostendant, Sacramenta V. T. nihil fuisse aliud, quam nuda rei cœlestis signa: posterior vero, ut doceant, nihilominus de sacramentis V. T. prædicari rem cœlestem, sed ita, ut ex circumstantiis aut explicatione ipsius scripturæ manifestè pateat, locutionem istam esse impropiam sive tropicam, metonymicam scilicet, qua vel, est, pro, significat, usurpatum, vel signata res pro signo posita sit. Hinc mox secuturum putant, si de Sacramentis V. T. tales occurrant locutiones, facile se omnibus persuasuros, propositiones sacramentales quoque in N. T. similiter accipiendas, & per metonymiam exponendas esse. Certè *Zwvinglius* cum causa sua ad incitas redacta, & in summas coniecta angustias esset, in disputat. Tigurina ultimum suum refugium, in somnio quidem monstratum, fuisse propositionem *Exod. 12. v. 11.* in institutione Agni Paschalis his verbis conceptam *בֶּסַח הוּא לַיהוָה*, *Pesach est hoc Domino*, i. e. ut ipse interpretabatur, hoc significat transitum Domini, ipse fateretur. Atque sic pulchre visus est evicisse, non minus in N. T. Sacram DN. cœnam significare tantum corpus & sanguinem Christi. Nolumus hic prolixè de istâ Calviniana & Zwvingliana disputandi differere methodo. De eo aliquid agere & Disputationis Academicæ loco proponere constitutum est, *num de Sacramento V. T. priore, Circumcisione nimirum, invenitur in Scriptura propositio, ubi de Circumcisione res prædicetur cœlestis, sed, sic explicante ipsa Scriptura, nihil aliud dicatur per eam, quàm quod Circumcisio istius tantum signum sit; sive rō est sit pro, significat, sumptum, sive prædicatum per tropum metonymias exponendum.* Sextus jam

30.

29.

28.

27.

26.

25.

3

2

39.

4

3.

jam agitur annus, eum de propositione *Exod. 12. v. 11.*
Pesach hoc est Domino, Solenni Disputatione, sub praesidio *Viri Reverendi maxime, meique in Christo Patris, Patroni & Praeceptoris, Iohannis Schmidt S.S. Theol. Doct. & c. celeberrimi*, actum est: quae me monebat res, ut, si prolixiorem de Sacramento Circumcisionis tractationem depromere non liceret, brevis Disputatio de propositionibus, in frontispicio praemissis, institueretur, & quod nullum Causa Calviniana inveniret hic plane patrocini-um, ostenderetur. Faxit Deus Ter Optimus Maximus, ut conatus institutumque nostrum in Nominis Sacro sancti ipsius gloriam, Ecclesiaeque aedificationem cedat, Amen!

MEMBRUM PRIUS.

De

Propositione. 7

Circumcisio est foedus Domini.

§. SECUNDUS.

Propositio prior earum, quas tractandas sumpimus, est haec, *Circumcisio est foedus Domini.* Caterum haec propositio non habetur his verbis in S.S. Non hoc volumus. (ut infra patebit.) quod haec propositio rejicienda sit, nec in Ecclesia toletanda; nec quod Calvinianis faveat: quia tamen eam isti depravant suis glossis, videtur via intercludenda, ne corrumpere possint, nisi manifesta depravatione & omnibus obvia. Id vero fieri posse arbitramur, si legitimè ostendatur, qua ratione ex scriptura eruenda sit.

§. 31. Eliciunt itaque propositionem, *Circumcisio est foedus Domini, ex vers. 10. Gen. 17. ubi DN. ad Abrahamum =*
 A 2 ait,

ait. *הוא ברית* Hoc est fœdus meum inter me & inter vos, & in-
 ter semen tuum post te, circumcidi vobis omnem masculum. Sic
 namque Chamier Panstrat. Tom 4. lib. 10. c. 7. §. 28. habemus,
 inquit, alia exempla, in quibus, est, improprie sumitur, Gen. 17.
 hoc est pactum meum, id est, Circumcisio est pactum meum. Ri-
 vetus quoque ad Genes. 17. qui multum de hoc, quomodo cir-
 cumcisio sit fœdus Domini, ponit ex vers. 10. & 11. quod Cir-
 cumcisio subjectum sit. Ex quibus (vers. 10. & 11.) patet, inquit,
 Circumcisionem, quam Deus appellaverat fœdus suum, Metony-
 micè fuisse sic dictum, quia signo fœderis nomen rei ipsius fuit
 communicatum. Quod repetitur v. 13. erit pactum meum in car-
 ne vestra in fœdus perpetuum. Hæc Ille. Nec minus Pareus
 Comto. ad Gen. 17. 10. Loquitur Deus, scribit: Sacramentali-
 ter, nuncupans symbolum nomine rei. Est enim consuetum Deo
 & hominibus signis tribuere nomina rerum signatarum. Sic Deus
 itidem vocabat fœdus suum: & declarabat, signum fœderis. Ita
 hic Circumcisionem vocat fœdus suum: mox declarat signum fœ-
 deris & c. ubi Pareus manifestè ex v. 10. nostro citato, sumit pro-
 positionem, Circumcisio est fœdus meum, & ita quidem, ut Cir-
 cumcisio sit subjectum. Quin imo negantibus non parum
 succenset. Adversarii, inquit, negant hoc dici; Circumcisio
 est fœdus: & si sic diceretur, negant tamen esse Phrasin sacra-
 mentalem & figuratam: quia Circumcisio propriè sit fœdus. Re-
 spondeo, pergit, dici illud per equipollentiam, est manifestum
 v. 10. hoc est fœdus meum, quod servabitis, circumcidi, vel,
 ut circumcidatur. Quid quæso erit fœdus: circumcidi omnem
 masculum: Grammatica docet, orationem totam pro Nomina-
 tivo positam, æqui polere Nominativo antecedenti. Itaque ista;
 Circumcidi omnem marem erit fœdus meum, evidenter æqui-
 pollet huic, Circumcisio omnis maris erit fœdus meum, sic
 Exod. 12. v. 11. comedetis festinanter: Pascha est Jehova: o-
 mnes Veteres hæcenus pro æquipollente huic agnoscunt, Agnus fe-
 stinanter comestus est Pascha Jehova & c. Pascha autem Hebrais
 est transitus. Esse v. Sacramentalem, qua signum accipit nomen
 rei, manifestum est, tum ex declaratione Dei: hoc est signum
 fœderis mei; tum ex natura fœderis. Fœdus enim propriè non est
 Cere-

5.
Ceremonia externa; sed est promissio gratia; Circumcisio proprie est Ceremonia. Non igitur Circumcisio proprie est fœdus, sed signum fœderis, quod vulgo dicimus, est fœdus Sacramentaliter. hæc omnia sunt Parei Commentatoris.

§. 4. Videmus itaque, propositionem, de qua agimus, afferri per æquipollentiam, ut Pareus loquitur, haberi in verbis v. 10. hoc est fœdus meum: hoc enim idem esse, ac si diceretur, Circumcisio est fœdus meum. Considerandum est hoc totius rei fundamentum. Sed notandum ante omnia, quod omnes, Pareus; Rivetus; Chamier; loco subjecti positam velint vocem Circumcisionis, quia vocula הַנִּיְחִיְהוּ Hoc, sit apud Mosen loco subjecti collocata. Atqui illi quidem hoc ita confidenter sumunt, quasi in dubium nullo modo vocari possit aut debeat. Sed, quod forte boni viri opinati non sunt, nos in controversiam omnino vocamus, verum ne sit apud Mosen הַנִּיְחִיְהוּ Soth, Hoc, stare subjecti loco? interim hoc largituri, quod propositio, Circumcisio est fœdus Domini, relicta voce Circumcisionis in subjecti loco, ex Gen. 17. v. 10. hic examinanda & exponenda sit. Sic quaeritur; Quodnam sit apud Mosen Gen. 17. 10. subjectum: quodve predicatum?

§. 5. Proponenda hic sunt verba Mosis, quæ sic habent in origine sua Hebræa;

זאת בריתי אשר שמרת ביני וביניכם
ובין ורעך. אהריוך המול. לכם כל זכר:

De verbo ad verbum sic latinè: Hoc fœdus meum quod servabis inter me & inter vos, & inter semen tuum post te, circumcidi vobis omnem masculum. Multas translationes citare opus non esse arbitramur; hic, inquam, ubi nobis non multum prodesse possunt, quæ alias magna cum utilitate conferuntur, translationes. In verbis namque difficultatis nihil est notabilis. Ab initio est supplendum verbum substantivum, usitatissima Ellipsi apud Hebræos, ommissum. Nec referre videtur multum, sive ponas, hoc est fœdus meum, sive, hoc fœdus meum est, sive, est autem hoc fœdus meum. In constructione justa res sita est. Particula pronominalis quoque הַנִּיְחִיְהוּ Soth demonstrativa, quod

A 3

demon-

demonstret verba in fine versus subjuncta, *Circumcidi vobis omnem masculum*, non est, quate negemus. Hoc quoque curæ nobis non est, an verba ista ultima vertantur in infinitivo, *Circumcidi vobis omnem masculum*; an vero in subjunctivo cum vocula, ut, hoc modo; ut *Circumcidatur vobis omnis masculus*. Quanquam hoc ultimum pro nobis non contemnendum omnino usum haberet: si vellemus de omnibus minutis solliciti esse.

§. 6. Constructionem itaque (ex qua apparebit, quid subjecti, quid prædicati loco stet.) quod attinet; supra citati Authores Particulam Demonstrativam ab initio positam, in iusta constructione, suo relinquendam loco, quantum apparuit ex verbis eorum præmissis, omnino statuunt, & tanquam fundamentum causæ suæ urgent, ut legitima constructio hæc sit; *hoc est fœdus meum*: Atque conjungunt jam Pronomini id, quod ab eo respicitur, ut tota propositio hæc sit: *Hoc scil. Circumcidi vobis omnem masculum, erit fœdus meum*: vel, *Hoc, i. e. ut circumcidatur vobis omnis masculus, est fœdus meum*. Ubi videtur, sententiam eorum non parum juvare, quod ipse Moses Pronomen *ἴσθι* *Soth*, *Hoc*, statim initio totius versus, quasi naturali suo loco, posuit.

§. 7. At nos imus contra, dicimusq; hanc esse legitimam constructionem ex mente Mosis; *fœdus meum, quod servabitis &c. est hoc, Circumcidi omnem masculum, vel, ut circumcidatur omnis masculus*. Qua ratione subjectum propositionis erit, *fœdus meum, quod servabitis*; Prædicatum v. *hoc, circumcidi vobis omnem masculum*; vel, *hoc, ut circumcidatur vobis omnis masculus*; pro qua nostra sententia jam disputandum erit.

§. 8. Et primò quidem, ne cui absurdum videatur (quod tamen apud Eruditiores timendum non est,) Pronomen Demonstrativum cum iis, quibuscum cohæret, Prædicati loco poni, adducere manifestissima exempla, forte non incommodum erit, atque inutile. Habemus itaque clarissimum exemplum, etiam quoad ipsam verborum collocationem *Matth. 13.* ubi v. 20. DN. inquit. *Ὁ δὲ ἐπὶ τὰ πέλους σκαπεῖς, ἐτός ἐστιν ὁ τῶν λόγων ἀκούων &c. qui v. super petrosa satrus est, est hic, qui*
verbum

verbum audit &c. &c. v. 22. ὁ δὲ εἰς τὰς ἀκάθαρτας σπαρείς, ἕως εἶναι
 τὸν λόγον ἀκέρων &c. qui v. inter spinas satus est, est hic, qui verbum
 audit &c. iterumque v. 23. ὁ δὲ ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν σπαρείς,
 ἕως εἶναι ὁ τὸν λόγον ἀκέρων, καὶ συνίων, qui v. in terram bonam sa-
 tus est, est hic, qui verbum audit & intelligit. Cum quo confen-
 tit quod Evangelium Luc. habet c. 8. 12. οἱ δὲ σπαρεῖ τὴν ὁσίαν,
 εἶσιν οἱ ἀκούοντες, &c. ἢ qui juxta viam sunt, sunt hi, qui audiunt,
 v. 13. οἱ δὲ ἐπὶ τὰς πέτρας, οἱ ὅταν ἀκέρωσι μετὰ χαρῆς δέχοντες
 τὸν λόγον: ἢ v. qui super petra sunt, sunt hi, qui quando audiunt,
 cum gaudio recipiunt verbum. v. 14. τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάθαρτας πεσὼν,
 ἕως εἶναι οἱ ἀκέρωντες &c. id v. quod inter spinas cecidit, sunt hi,
 qui audiunt &c. v. 15. τὸ δὲ ἐν τῇ καλῇ γῆ ἕως εἶναι οἱ τινες ἐν
 καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ ἀκέρωντες τὸν λόγον: quod v. in terra bonā
 est, sunt hi, qui corde recto & bono audiunt verbum. Ubi certe
 nihil mutat. I. Syrus Interpres, nec ejus translatores Trostius
 & Tremellius (ipse Calvinianus) quorum uterque Matth. 13.
 v. 20. id autem quod supra petram seminatum fuit, est is, qui au-
 dit sermonem &c. v. 22. quod a. in loco spinarum seminatum fuit,
 is est, qui audit sermonem &c. v. 23. Ceterum illud quod in bo-
 nam terram seminatum fuit, is est, qui audit sermonem meum.
 Luc. 8. (ubi Syriacismus valde evidens) ita habent v. 12. ἢ a.
 qui juxta viam, sunt ἢ, qui audiunt sermonem &c. v. 13. qui a.
 super petram, ἢ sunt qui audierunt sermonem, v. 14. illud v. quod
 cecidit in loco spinarum, ἢ sunt qui audiunt sermonem. v. 15. id a.
 quod in terram bonam, ἢ sunt, qui corde demisso & bono audiunt
 sermonem. II. Arabs quoque nihil; quin potius rem in suo A-
 rabismo planè confirmat Matth. 13. 22. Luc. 8. 13. (reliquorum
 enim versuum omnium translatione superledemus.) Ubi ille
 sic habet: & qui satus in spinas, est is qui audit sermonem &c. Hic
 v. similiter: & illud quod saper Petram, sunt ἢ, qui audiunt ser-
 monem. III. Beza, Calvinus, Pellicanus, nihil ipsi quoque: ut
 taceamus plures translatores.

§. 9. In hoc quidem exemplo invenimus Pronomen
 Demonstrativum etiam expresse postpositum? At, secundò, et-
 iam si quoque præponatur, nihilominus in ordinata & legitima
 constructione prædicatum esse potest. Si namq; Marcum cum
 Matthæo

Matthæo & Luca conferamus, sensus plane idem est, sed Pronomen est præpositum, ut cap. 4. v. 15. ἔτοι δὲ εἰσὶν οἱ παρὰ τὴν ὁδὸν, Illi a. sunt, qui juxta viam sunt. v. 16. καὶ ἔτοι εἰσὶν ὄβριος οἱ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπριθήμενοι, & hi similiter sunt qui super petricosa sati sunt. Sic v. 18. & 20. Nihilominus v. constructio manet quæ apud Matth. & Luc. habetur: ut & Marc. voluerit dicere; οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν, ἔτοι εἰσὶν, καὶ ὄβριος οἱ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπριθήμενοι εἰσὶ ἔτοι &c. qui juxta viam sati sunt, sunt hi: & qui super petricosa sati sunt, sunt hi &c. Quod de hoc Marci loco dictum est, deprehendimus quoque Joh. 6. 39. & 40. ubi Christus ait. Τὸτο δὲ ἐστὶ τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς μου, ἡα α. est voluntas ejus qui misit me, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed exsuscitem illud in novissima die. Τὸτο δὲ ἐστὶ τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς μου. Hæc est a. voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum in novissima die. In utroque versu præpositum est Pronomen Demonstrativum, quod tamen ad prædicatum pertinet, cum hæc sit legitima constructio; voluntas a. ejus qui misit me, Patris, est hæc, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed exsuscitem illud in novissima die. Et iterum; Voluntas a. ejus qui misit me, est hæc, ut omnis, qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego exsuscitabo eum in novissima die. Unde recte v. 39. in Bibliis Gallicis Genevensibus versus est. Et la volonté du Pere qui m'a envoyé, est, que ie ne perde rien de tout ce qu' il m'a donne, mais que ie le resuscite au dernier Jour: Et voluntas Patris qui me misit, est, ut ego non perdam quicquid, de omni eo, quod ille mihi dedit, sed ut ego illud resuscitem in Novissimo die.

5. 10. Neque v. hoc in N. T. tantum accidit, deprehendimus idem in V. Sit nobis exempli loco Jerem. 31. v. 33. ubi Dominus dicit כִּי יִסְתַּחֲבֹר אֶת הַבְּרִית, Ki soth ha-bberish, quoniam hoc est fœdus, quod pangam cum domo Israël, post dies hos, inquit Jehova, dabo legem meam in medio eorum. Ubi hæc est legitima constructio: Quoniam fœdus meum est hoc, dabo legem meam in medio eorum. Agnoverunt sane hoc iterum Translatores Bibliorum Genevensium. Unde Hebr. 8. v. 10. Ubi Jer. locus citatur,

30.

29.

28.

27.

26.

25.

24.

23.

22.

21.

tatur, sic interpretati sunt; car voyci le testament que ie feray avec la maison d' Israel apres ces iours la, dit le seigneur: c'est que ie mettray mes loix, en leur entendement: Id est; *Ecce enim Testamentum, quod ego facturus sum cum domo Israel post hosce dies, inquit Dominus, est hoc, ut ego mittam meas leges in eorum mentem.* sic *Es. 59. v. ult.* וְאָנֹכִי וְאַתָּה כְּרִיתִי אִתָּהּ, *vaani soth berithi ittham, & ego, hoc est fœdus meum cum iu, dicit Dominus; Spiritus meus, qui super te est, & verba mea, qua posui in os tuum, non recedent ab ore tuo.* Ubi observandum quoque, in primis Hebræis hoc usitatum esse, ut isto modo præmittant, quod est Prædicatum, monentibus ipsis Philologis præstantissimis, quorum hæc est regula, quod quando Verbum Substantivum inter Nomina Substantiva & Adjectiva, vel Pronomina quoque, omittatur, Adjectiva præmittantur, licet prædicata sint; atq; hoc ita frequens esse, ut possit constitui aliqua nota omisi verbi Substantivi.

§. II. Atque hæc Observatio Philologica prodest nobis, nec transmittenda est sine admonitione, contra id, quod supra dictum, videri iis, qui in nost. loc. Gen. ex Pronomine Subjectum faciunt, hoc favere, quod idem istud Pronomen naturalem Subjecti locum occupet. Judicanda enim jam est res ex genio Hebr. Ling. qui cum hic sit, ut Adjectivum, etiam Pronominale, in Ellipsi Verbi Substantivi (in primis quando ejusdem Verbi nullus Vicarius, si ita placet vocare, aut nullum aliud suppositum est indicium) stet loco Subjecti, & nihilominus sit frequentius saltem Prædicatum: Nos Argumentum plane invertimus, dicimusque, cum hoc ergo Pronomen in Ellipsi verbi Substantivi inveniatur positum in loco Subjecti, ideo potius erit Prædicatum quàm Subjectum, ex Genio & usu Linguae, donec contrarium firmioribus rationibus demonstretur. At apud Calvinianos novas, quibus istud nostrum infringatur argumentum, non vidimus rationes. Quare nos jam in possessione & meliore loco sumus, donec illi nos urgentibus causis dejiciant, & justis armis expugnent. Non est res ista obscura iis, qui vel qualitercunque Hebræam Linguam, & primis, quod ajunt, labiis degustarunt, nec rejici ab ipsis adversariis poterit hæc nostra observatio, cum habeamus



mus ex ipsorum præstantissimis Philologis, Regulæ indicatæ Grammaticæ testimonia: quæ producere opus non est, in re manifesta. Hoc itaque nos confirmat, quod, ante omnem quoque ardentiorē & vehementiorē pugnam, id consecuti simus propugnaculum, in quo destruendo omnis forte eorum labor, impetus, conatus frustra insumetur, telaque & arma hebetabuntur. Atque post hoc solum propugnaculum possemus, ni fallor, tam diu tuti quiescere, donec, eo dejecto, novum instaret periculum, quod nos ad arma excitaret querenda alia & resumenda. Verumenimverò cùm bona alia non desint argumenta, ex iis etiam producemus unum atque alterum in medium.

§. 12. Addimus itaque. I. Propterea דבר בריתי *Berithi, fœdus meum*, sumendum esse pro subjecto, Pronomen אהי *Soth, Hoc pro Prædicato*; quia id de quo aliquid queritur, est בריתי *Berithi, fœdus meum*. Notum est vel pueris, id, de quo questio instituitur, Subjecti loco collocandum esse: & si per trajectionem forte quandam Subjecti locum non occupet, ex hoc ipso iudicandum esse, cui Subjecti locus assignandus sit. Id namque, de quo queritur aliquid, est etiam id, de quo prædicari aut dici idem debet, hoc est, Subjectum. Atqui jam in nostris verbis de hoc queritur, quodnam sit fœdus Domini? Manifestum id est, ex toto contextu cap. 17. ab initio usque, ad nostrum vers. 10. Statim v. 2. dicit DN. ad Abrahamum; *Et dabo fœdus meum inter me & inter te, & multiplicabo te valde admodum*. Facit mentionem fœderis, quod daturus sit inter se & Abrahamum; nondum itaque dat, quanquam jam exprimat quodammodo rem, super qua fœdus erigendum, scil. Multiplicationem Abrahami in signem. Restat itaque adhuc dicendum, quodnam istud sit fœdus, quod Dominus daturus. Et v. 4. quidem iterum fœderis fit mentio, *Ego, ecce fœdus meum tecum, & eris in Patrem multitudinis gentium*. Omissum est verbum Substantivum, supplendum legitimè. Sed cum idem plane dicatur, quod v. 2. dictum est, de multiplicatione gentium, ideoque ut ibi est Tempus futurum, sic quoque Verbum Sub-

Substantivum hic est interponendum in eodem Tempore. In primis, quia mox v. 7. in Futuro loquitur, & erigam fœdus meum. Itaque sic habebit v. 4. Ego, ecce fœdus meum erit tecum, &c. Sic expresse Genevenses. Quæstio itaque, quodnam sit istud fœdus, adhuc relinquitur, nec ad eam responsum est. Nec respondetur etiam v. 7. quippe qui, ut jam indicatum, expresse de futuro loquitur fœdere: *Et erigam fœdus meum inter me & inter te, & inter semen tuum post te, in fœdus aternitatis.* Quem versum Iun. & Tremell. male verterunt in Præsenti, *stabilio a. fœdus meum inter me & inter te*: Cum expresse in Hebræo Codice sit Præteritum in Futurum conversum, nec ratio appareat, quare discedamus. Imo si voluisset Dominus significare tempus Præsens, usus procul dubio fuisset potius Præterito non converso, quod, ut notum, apud Hebræos emphaticè pro Præsenti usurpatur, ad declarandam rei certitudinem. Melius itaque iterum Genev. *Ego stabiliam autem meum fœdus inter me & te.* Et Pellican. *& statuam pactum meum inter me & te.* Quare adhuc loquitur Dominus de re, super qua fœdus sit erigendum, magisque eam exponit, nondum tamen expositum est, quodnam fœdus sit ipsum, sed manet in quæstione. Succedit versiculus nonus, in quo iterum fœderis sit mentio, neque tamen quæstio solvitur nostra, quodnam sit fœdus. Hoc est, quod dicitur, Abrahamum cum Posteris debere fœdus servare Domini. *Tu, inquit, servabis fœdus meum, tu & semen tuum post te in generationes eorum.* Jam igitur demum v. 10. solvitur quæstio, diciturque, *hoc est fœdus meum, quod servabis &c.* Patet itaque ex dictis & cohærentia cap. deducta, quod quæstio instituat de fœdere, de quo toties mentio facta, & de hoc tandem aliquando dicendum & exponendum sit, quodnam sit illud. Unde jam omnino sequitur, quòd fœdus sit positum ut Subjectum, non a. Pronomen *Hoc*. Prorsus quemadmodum in sup. adducto loc. *Ioh. 6. v. 39. & 40.* Nam apud Evang. præced. vers. 38. dixerat Dominus: *Descendi è cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Profert hic voluntatem ejus, qui se miserit, nec dicit, quæ illa sit. Quæritur ergo, quænam ista sit voluntas? Resp. v. 39. & 40.

Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris &c. Ubi quis tardus, qui non videat, ut ad quaestionem recte responsum sit, dicendum esse, voluntatem Patris debere haberi pro Subjecto, Pronomen a. Hoc referendum ad Prædicatum.

§. 13. Verumenimverò negabunt jam adversarij nostri præmissam nostram cohærentiam. Neque verò nos propterea à nostra sententia dimovebunt: quanquam, ne demonstratio cohærentiæ per singulos versus (ut omnino fieret) excrescat, eam accuratius tractando, faciamusque, quod instituti nostri non est, seponamus, quod aliam tractationem prolixiorēque requirit, & consideremus v. 9. ejusque cum nostro v. 10. cohærentiam. Ita v. 9. habet vers. 9. & dixit Dominus ad Abrahamum; & tu fœdus meum servabis, tu & semen tuum post te, in generationes eorum. Cui jam subjungitur v. 10. Hoc fœdus meum est, quod servabitur inter me & inter vos & inter semen tuum post te, circumcidi vobis omnem masculum. Manifestissimum est, ni cæcus fueris, quod in utroque vers. de eodem sit sermo fœdere: Clarissima sane sunt indicia & argumenta. Non tantum. 1. utrobique dicitur, fœdus meum: sed & additur, 2. eadem utrobique Prosthesis, additio atque determinatio, servatio sc. fœderis inter Dominum & Abrahamum ejusque posteros: servabis fœdus meum inter me & inter te, & fœdus meum, quod servabitur inter me & inter te &c. Siye itaque jam idem fœdus hoc sit cum eo, quod in antecedentibus positum, manifestum utique hoc est, quod in utroque hoc versu idem sit. Atque hoc (idem scil. fœdus esse: quanquam nondum disputamus, quid sit?) veritas & perspicuitas coëgit agnoscere *Translat. Genev.* unde, quemadmodum per se clarum satis est, quod per fœdus (quocunq; tandem exponatur modo; de quo infr.) intelligatur vers. 10. Circumcisio ipsa, sic fœdus vers. 9. positum, expresse interpretantur de Circumcisione. Hæc namque est eorum gloss. marg. sublit. l. La circoncision est appelee l'alliance de Dieu, pour ce que la promesse de grace estoit enclose en icelle. Ce qui est propre à tous sacremens. i. e. *Circumcisio est appellata (vers. 9. scil.) fœdus Dei, propterea quod promissio gratia erat inclusa in illa, id quod proprium est omnium*

SACRA

3.

Sacramentorum. Sic Illi, Quo quid manifestius? Prorsus ut Vatablus in notis. Eadē omnino mens est Tigurini Pellicani: quippe qui non tantū conjunxit versionem v. 8. & 10. tanquam de una eademq; re agentū, sed & super utrumq; simul commentatur: Sic ergo (quemadmodum hactenus per 8. v. expositum est) se habet fœdus, quantum ad promissa mea, quæ statuam infallibiliter, sicut & per memet ipsum juravi, & non mentiar: Tuum vero & posterorum tuorum erit, ut circumcidatur ex vobis omne masculinum. Qua etiam ratione facit in v. 9. & 10. de una eademque Circumcisione agi. Ex Palatinatu Pareum, Juniumque & Tremellium satis quoque arctam cohærentiam facere v. 9. & 10. certum est: an eandem vocis, fœderis significationem, non contendimus: quorum ille in Comment. ad versum 9. hactenus, inquit, quanta beneficia Deus stipuletur Abrahamo & semini ejus hoc fœdere: nunc quid ab eodem restipuletur indicat &c. Isti v. in not. ad v. 9. n. 17. altera, ajunt, pars fœderis, stipulatio: id quod Pare. in Comm. magis declarat, scribens: Duo restipulatur à confœderatis (Deus) 1. ut ambulent coram Deo. &c. 2. Obedientiam Ceremonialem, ut Circumcisionis Sacramentum accipiant & observent. Dicimus ergo nos hic porro: idem est fœdus vers. 9. & 10. Propter arctissimam versuum cohærentiam. Sed ejus mentio tantum facta est vers. 9. & injunctum, ut servaretur: interim non dictum est, quodnam istud esset fœdus. Remanet ergo quæstio, quodnam id sit fœdus & ad quam jam respondendum est, & respondetur v. 10. diciturque quod sit Circumcisio: Unde liquet iterum, quod בְּרִיתִי Berithi, fœdus meum, subjectum sit, Pronomen v. Prædicatum indicet.

§. 14. Quod si quidam sunt, qui vers. 9. ad fœdus aliud, quam Circumcisionem, referri volunt, oppido sane absurdum sunt. Ista enim ratione juberetur Abraham cum Posteris suis servare fœdus, & non adderetur, qua ratione servare debeant: Fœdus namque in antecedentibus ante vers. 9. verbis est fœdus Dei, in quo Deus dicit, quid ipse facturus sit? Quid homines facere debeant, non dicitur. Hinc adversarii restipulationem, ut vocant, inchoant vers. 9. certe n. v. 1. ad

restipulationem non pertinet, cum nulla præcesserit stipulatio, saltem Sacramentalis, nulla ullius fœderis mentio. Adde, quod, si restipulatio hominum vers. 1. haberetur, esset legalis & operum bonorum, cùm Dominus dicat, *ambula coram me, & esto integer*. Fides, inquis, comprehenditur in vocabulo servandi. At unde hoc probatur? Servare de operibus potius & actionibus usurpatur, adeoque sic se habet, ut vocabulum fidei addendum fuisset. Quicquid tamen sit, si concesserit quis adversariorum vers. 9. agi de eodem fœdere, de quo ab init. cap. sentiet hæcenus nobiscum: hanc enim nostram esse sententiam supr. jam indicavimus. At in v. 10. aliud esse fœdus nullo modo probabitur. Cohærent namque nimis arctè hi duo vers. Ita ut vocum respectus negari non possit. Quod obijciunt Circumcisionem non posse esse illud fœdus, frustra est omnino: Nisi quod sibi talia fingunt, quæ consistere nequeunt, nec textus ipse admittit. De v. 11. infr. agemus; membr. 2. Cum itaque omnino respectus aliquis horum duorum relinquendus sit versuum, & fœderis aliqua mentio præcesserit, Circumcisionis expressa nulla: manet firmum quod hæcenus affirmatum, ponendum esse pro Subjecto id, quod notum & indicatum jam fuit, ut de eo prædicetur & dicatur, quod prædicatum nondum est, hoc est, dicatur de fœdere Domini, quod sit Circumcisio: quicquid tandem etiam vox fœderis significet. Nam si probari poterit, quod signum tantum fœderis notet, poterit omnino etiam dici, quod statim ab init. cap. ita sumi debeat, & in primis v. 9. cum Geneves. & aliis.

§. 15. Verum non illa tantum istos premit difficultas, hoc accedit, quod, si vel maxime verum esset, diversa fœdera esse vers. 9. & 10. nihilominus concedendum esset, quod *Berithi, fœdus meum*, sit subjectum. Ponamus enim hanc esse, si adversarii isti voluerint aut prætulerint, cohærentiam, in v. 9. incipere Dominum exponere, quæ Abrahami & posterorum partes sint futuræ, quidque facere debeant: indicari itaque vers. 9. quod vera fide fœdus gratiæ debeant apprehendere, sibi que applicare, & integritatem vitæ simul consecrari: vers. 10. verò, observare signum aliquod fœderis istius; erit scilicet

3.

scilicet hic sensus, quasi Dominus diceret: Mi Abraham, exposui hactenus tibi gratiam fœdusque meum pacis, omniaque bona, & maxima quidem, quæ tibi propter fœdus istud largiturus sum, posterisque tuis. Superest jam, ut te quoque & posteros tuos moneam, quâ ratione vos vicissim erga fœdus hoc meum gerere debeatis. Ubi ante omnia dabitur hanc operam, ut gratiam & promissionem meam vobis recte applicetis, servando sc. illud religiose inter me & inter vos, hoc est, ut vera fide illud apprehendatis. Deinde v. non obliviscimini signi fœderis mei, quod jam sum additurus, nec id contemnetis, quamvis vobis absurdum visum fuerit. Si quæris, quodnam hoc sit signum, expono tibi; hoc est signum fœderis mei, ut circumcidatur vobis omnis masculus. Est utique hæc coherentia ex sententia eorum. Ubi cum quæritur, quodnam verborum; Hoc est signum fœderis mei, ut circumcidatur vobis omnis masculus, Subjectum sit? res iterum clarissima erit, nempe, signum fœderis: cum cuius pateat, quod de fœderis signo quæritur, ut incognito, quodnam istud sit? Sic hæc quoque in coherentia nolentes volentes cogentur adversarii admittere id, de quo disputamus, Subjectum & Prædicatum propositionis Mosâicæ, vel Dominicæ potius, *hoc est fœdus meum*. Est a. ni fallor, coherentia, quam fecimus, quorundam Calvinianorum, & ipsius Calvinii, qui, ad hunc locum ita connectit: *sicuti olim fœdera non modo in publicas tabulas referbantur, sed in as incidi vel lapidibus insculpi solebant, quo magis testata & celebris esset eorum memoria, ita nunc Deus in carne Abrahæ fœdus suum insculpfit.*

§. 16. Addimus. 2. *in Berith, fœdus meum, esse agnoscendum pro Subjecto, Pronomen vero Ego, Hoc, cum iis quæ ad illud pertinent, pro Prædicato, quia hæc est consuetudo loquendi & stylus Scripturæ, ut, quando Pronomen hoc Demonstrativum demonstrat id, quod nondum præcesserat, sed postea demum subjungatur, faciat prædicatum. Fingant namque aliqui Calvinianorum pro proximè annotata sententia circa vers. 9. & 10. hanc coherentiam: Dicam jam quid vos.*

30.

29.

28.

25.

24.

23.

22.

vos facere debeatis, nimirum. 1. fœdus meum servabitis, & applicabitis vobis vera fide. 2. Observabitis Circumcisionem. Si quæritis, quem in finem usumque observanda sit Circumcisio, hic est, ut sit vobis signum fœderis mei, quod servabitis inter me & inter vos. Fingant, inquam, aliqui hanc coherentiam. Atqui non modo non probant eam: sed & turpiter impingent in observationem modo propositam. Probamus autem eam aliquot exemplis Jerem. 31. v. 33. *quoniam* **יהוה** *Soth*, hoc est fœdus, quod pangam cum domo Israël post dies hos, inquit Dominus, dabo legem meam in medio eorum. Particula Pronominalis **יהוה** *Soth*, hoc, in his verbis demonstrat, non aliquod antecedens. sed consequens sc. *et dabo legem meam in medio eorum &c.* Ubi profecto hæc verba, quæ Pronomini Demonstrativo conjungenda sunt, sunt Prædicatum, q. d. *fœdus autem, quod pangam cum domo Israel post dies hos, est hoc, quod scripturus sum legem meam in medio eorum.* De quo verò loco etiam supra aliqua dicta sunt, quæ conferri possunt. Jer. 23. v. 6. **ישב** *vesab* Schemo, & hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum Iehova Iustitia nostra. i. e. & nomen ejus, quo vocabunt eum, est hoc, Iehova Iustitia nostra. Levit. 6. 2. **יהוה** *Soth*, Hac est Lex Holocausti, i. e. Lex Holocausti est hac, ut offeratur &c. Atque sic aliquoties capp. 6. & 7. Item cap. 6. v. 13. *hæc est oblatio Aaronis & filiorum eius, quam offerent Iehova semper, quo tempore ungetur eorum aliquis, decima Ephæ simila munus &c.* i. e. oblatio Aaronis & filiorum ejus est hac, decima Ephæ simila munus. Levit. 11. v. 2. *Hoc est animal, quod comedetis de omnibus pecudibus, quæ sunt super terra: quicquid habet ungulam scissam &c.* i. e. Animal, quod comedetis de omnibus pecudibus terra, est hoc, quicquid habet ungulam scissam &c. Deut. 33. 1. *Hæc a. est benedictio, qua benedixit Mosche Vir Dei Filiis Israël, ante mortem suam, i. e. Benedictio autem, qua benedixit Moses Vir Dei Filiis Israël ante mortem suam, est hæc: & dixit &c.* Neque vero hoc tantum in Hebræa Lingua fieri solet: sed usitatum est in aliis quoque fere omnibus. Natura namque Particularum Demonstrativorum est, quod priori loco poni volunt, etsi posterior ipsis com-

petat

3.

petat. Hinc fit, ut ipsæ præponantur quidem, & id nihilominus, quod post se demonstrant, suo relinquatur loco, ut simul pateat, quo demonstrativa stare loco debeat.

§. 17. Possent nonnulla de voce *Berith*, *fædus*, hic quoque dici, ostendique, quod ejus significatio & natura, sic sit comparata, ut, hoc in loco, locus Subjecti ipsi denegandus non sit: Sed hæc vox infra meliorem sortiatur locum. Ad dimus ergo 3. quod frustra sint quicumque pugnare voluerint, quod Particula *סוף* hoc Subjectum non faciat: cum nihilominus in id incidant, quod fugiunt. Fugiunt nimirum hoc, ne vox *fæderis* in locum Subjecti veniat. Atqui, inquam, veniet nihilominus, quantumcumque etiam contrantantur. Ponamus namque hanc esse legitimam constructionem, *hoc est fædus meum*, quæro, quare *סוף* *Soth* ponatur in genere fœminino? Neutraliter, inquit, sumitur, & est exponendum per, *hæc res*; Hæbræis n. usitatum est, ut Fœminino utantur. Ubi nota quidem est ista Grammaticorum Hæbræorum observatio: sed ego hic locum habere nego. Dico autem, Pronomen Demonstrativum *זה* *sah* vel *סוף* *Soth* poni in Genere nominis, quod vel in loco Subjecti antecessit, vel in loco Prædicati sequitur. Cujus quidem rei ratio hæc est, quod illud nomen in se includat, & pro eo stet. Ostendo, quod dico, & confirmo exemplis Exod. 3. v. 15. *Iehova Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob misit me ad vos, זה שמי לעולם וזה זכרו לדור ודור, sah Shemi leolam, vesah sichri ledor vador, Hoc est nomen meum in aeternum, & hæc est memoria mea in aeternum & aeternum. Bis ponitur hic Pronomen Demonstrativum זה *sah*, & refertur ad יהוה *Iehova*. Hoc, si materialiter consideratur, erit generis neutrius. Quare ergo Pronomen non ponitur in genere Fœminino? aut si explicandum est per, hæc res, sc. nominis, est nomen meum? Profecto bona & probabilis ratio non potest reddi; quam supra indicata, quod Pronomen referat Prædicatum subsequens, q. d. *hoc nomen est nomen meum in aeternum, & iterum, hæc memoria est memoria mea in aeternum & aeternum*. Atq; hæc etiam ratio est, quare*

C

Latinus

Latinus optime dicat, *hæc est memoria mea in etatem & etateur.* Sic in Loc. ex Lev. 6. & 7. citatis & indicatis, quando dicitur; *זאת תורה עולה* *Hæc est lex Holocausti* &c. Idem est ac si diceretur, hæc, quæ sequitur, esto Lex Holocausti. Eadem igitur ratione, sive in nostro loco *בריתי* Berithi, *foedus meum*, ponatur loco Subjecti, sive loco Prædicati, *זאת* Soth, reportat in se, & includit *בריתי* Berith, *foedus*: Hoc modo; *foedus autem meum*, quo de in præcedentibus dixi, *est hoc foedus*, quod sequitur, *Circumcidi vobis omnem masculum*: vel hac ratione; *hoc foedus*, quod subjungo, nimirum, *Circumcidi vobis omnem masculum*, *est foedus meum*, quod *servabitur inter me & inter vos*. Licet itaq; concederemus (quod non concedimus) Pronomen esse Subjectum, non elaberentur Calviniani, & nos haberemus, quod intendimus, scilicet ut vocabulum foederis sit in Subjecto, coganturque Calviniani dicere, qua ratione velint in loco Subjecti illud nobis explicare? propriè ne, an metonymice?

§. 18. Maneat ergo, quod supra affirmavimus, & bonis rationibus confirmavimus; in v. 10. Gen. 17. *בריתי* Berithi, *foedus meum* esse Subjectum, & propositionem secundum legitimam constructionem sic formandam; *Foedus autem meum*, quod *servabitur inter me & inter te*, & *inter semen tuum post te*, est hoc, *Circumcidi vobis omnem masculum*, vel, ut *Circumcidatur vobis omnis masculus*. Et hoc quidem sensu; *Pluribus hætenus foedus meum*, quod tecum, mi Abraham, *facturus sum*, *exposui*, remque, *super qua illud erecturus*, planam reddidi: *restat ut tibi exponam*, quodnam hoc foedus, & quibus ritibus in eundem atque Ceremoniis. Verbo itaque tibi dico, *foedus meum istud nulum est aliud*, quam hoc, ut *Circumcidatur vobis omnis masculus*. Nec jam Calviniani hoc ægte ferent, cum in super ostensum sit, niti id suis argumentis, & contrarium ipsos nihil juvare.

§. 19. Patet ex his, propositionem supr. initio hujus membri propositam, *Circumcisio est foedus Domini*, non esse Scripturæ: Neque vero etiam æquipollere ei, quæ in Scriptura est: Sed hæc, *foedus Domini est Circumcisio*, vel, *foedus Domini cum*

3.

mini cum Abrahamo pactum, est Circumcisio omnis masculi. Non enim hic rigidi erimus: quamvis procul dubio eruditus non obscurum sit, quod nihilominus aliquod discrimen sit. Illa namque Scripturæ; *fœdus meum est hoc, (fœdus) ut Circumcಿದatur vobis omnis masculus*, non probe stat absolute, sed coherentiam cum præcedentibus requirit: Posterior autem ex Scriptura, pro æquipollente extracta, absolutius concepta est, cum dicitur, *fœdus Domini, cum Abrahamo factum, est Circumcisio.* Præterea in Prædicatjs quoque est aliquid discriminis; nam *est hoc, ut Circumcಿದatur vobis omnis masculus*, non infert ritus (tanquam jam institutos: sed potius, ut mox instituendos) aut in se complectitur: actum dicit simpliciter & objectum. At Circumcisio à ritibus omnibus & Ceremoniis jam definitis ægre abstrahitur, quin complectatur simul omnes, inprimis si respiciamus usum vocis hujus, Circumcisio, in Ecclesia Dei. Patet hoc facile ex quætionibus quid sint? e. g. quid est Circumcidi omnem masculum? ubi respondebitur, est, ut aliquid à masculo abscindatur, non autem ita; est, ut caro præputii abscindatur octavo die. Hoc enim posterius demum respondebitur ad quætionem, quid debeat à masculo omni abscindi, & quando? Cùm v. quæritur: quid ergo est Circumcisio omnis masculi? potius ita respondebitur; Circumcisio omnis masculi, est, qua caro præputii octavo à nativitate die præscinditur: non autem sic; Circumcisio est, qua aliquid ab omni masculo præscinditur. Quanquam, inquam, ita se res habeat, & vix omnimoda æquipollentia concedi queat: largimur tamen sine rigore, quod sine damno nostro largiri possumus. Hæc v. porro propositio, *Circumcisio est fœdus Domini*, non est æquipollens Mosaicæ: Consequi tamen ad istius æquipollentem non negabimus. Scil, *fœdus Domini cum Abrahamo Gen. 17. factum, est Circumcisio omnis masculi familia & posterorum ejus. E. Circumcisio omnis familia & posterorum Abrahami est fœdus Domini cum eo pactum Gen. 17.* Erunt namque ratione sensus eadem, conversæ simpliciter, cùm termini sint utrinque singulares.

§. 20. Jam v. si admittimus propositionem hanc ultimam,

timam, *Circumcisio omnis familiae & posterorum Abrahami est fœ-*
dus Domini cum eo pactum Gen. 17. vel etiam hanc breviorē,
Circumcisio est fœdus, (adversaria Calvinianorum pars ut eam
 format) non possumus profecto aliter admittere, quàm qua-
 tenus ex verbis Domini apud Moysen extrahitur atque elicitur,
 neque pati possumus, ut vocabulis alia significatio affingatur,
 quàm Scripturæ. Examinanda itaque est ante omnia propo-
 sitio Scripturæ, videndumque, quid in ea vocabula denotent;
 tum facile erit iudicium de propositione ab adversariis adeo
 vexata & jactata, *Circumcisio est fœdus Domini.* Notum est,
 quantopere glorientur omnes, suam sententiam de nuda Sa-
 cramentorum significatione hic fundatam esse; quanquam
 consensu parum concordi: dum aliis, est, positum est, pro,
 significat; aliis v. *fœdus Domini*, signum fœderis Domini no-
 tare, præferendum esse videtur. Enimverò id si de propo-
 sitione Scripturæ demonstraverint, habeant quod volunt: sin-
 minus, agnoscant tandem errorem suum, fateanturque si-
 mul, male à se obrudi propositionis suum sensum, *Circumci-*
sio est fœdus Domini, i. e. significat fœdus Domini, vel, est si-
 gnum fœderis Domini. Evidentum est supra propositionis Scri-
 pturæ hæc esse verba & constructionem; *Fœdus meum est hoc, ut*
Circumcidatur vobis omnis masculus. In hæc verbum Substan-
 tivum, *est*, non esse positum pro, significat, adeò manifestum
 evadit ex ejus resolutione, ut absurdus planè sit, qui negare
 audeat. Substituamus namque Calvinianorum, significat, &
 sic habebit; fœdus meum significat hoc, ut circumcidatur
 vobis omnis masculus. Hæc ratione fœdus Domini fieret si-
 gnum, & Circumcisio signatum: quod ullus adversariorum
 non probabit. Quod si fœdus esset pro signo fœderis, hoc fie-
 ret sensu; signum fœderis mei est hoc, ut circumcidatur vobis
 omnis masculus. At quis patietur hoc committi, ut Subje-
 ctum figuratè accipiatur? Non arbitror eò quoque progressu-
 ram hoc tempore adversariorum audaciam, ut hoc asserere non
 erubescat. Quæ cum ita se habeant, non licebit profecto di-
 cere, quod in hæc æquipollente, *fœdus meum est Circumcisio,*
vel, est sit significat, vel fœdus signum fœderis. Multo etiam
 minus

minus in hâc conversa, *Circumcisio est fœdus Domini*: cum conversa propositio sensum convertendæ nullo modo mutare debeat. Misere itaque profecto deceptus est *Chamier Panlrat*. T. IV. lib. 10. c. 7. §. 28. cum ait: *Habemus alia exempla; in quibus, est, improprie sumitur Gen. 17. Hoc est pactum meum, i. e. Circumcisio est pactum meum; & de hâc aliisque, quas adducit, pronunciat propositionibus; Has omnes propositiones non tantum constat apud omnes, esse tropicas, sed etiam apud nos, tropi sedem esse ipsum illud verbum, est.* Potius jam apud omnes constare debet, quod in allegatâ propositione impossibile sit, est esse sedem tropi, & pro, significat, accipiendum. Vellicanda quoque esset auris *Antonio Sadeeli*, qui nos neglecti & falso allegati Hebraismi arguit, tractat. de Sacram. manduc. p. 286. col. 2. oper. *Et quia nos, inquit, ad Hebraismum revocant, velim attente expendant, quod Moses de Circumcisione commemorat his verbis: Confirmabo, inquit Dominus, fœdus meum inter me & te, & inter semen tuum post te, ut sim tibi Deus & Semini tuo &c. & paulo post: hoc est fœdus meum, quod observabitis &c.* Expendimus enim, & neque significat aliquid, neque signum fœderis deprehendimus. Expendisset modo ipse rectius, & deprehendisset, suæ sectæ homines non malè à nostratibus ad Hebraismum revocatos olim, & revocari hodieque non immerito.

§. 21. Sed etsi concederemus, hanc esse legitimam constructionem, *Hoc est fœdus meum, quod servabitis &c. Circumcidi vobis omnem masculum*: quia tamen supra monuimus, hoc ex Hebraismo (si modo ita appellare placuerit, quod in omnibus fere linguis usitatum est) nihil esse aliud, quam si diceretur, *hoc fœdus est fœdus meum quod servabitis &c.* idem de hâc propositione statuendum esset, quod de superiori indicatum. Nam verbum Substantivum, est, hic non poterit accipi pro significat, vel fœdus pro signo fœderis, cum absurdum iterum esset resolvere, hoc fœdus significat fœdus meum, vel, hoc fœdus est signum fœderis mei, vel, hoc signum fœderis, est signum fœderis mei. Nescio an hæc res scrupulum forte aliquem iniecerit quondam *Amiando Polano*, qui syntagma-

tis Theol. lib. I. c. 45. colum. 317. quum Deus, ait, ad Abrahamum dicit Gen. 17. v. 10 de Circumcisione; Hoc est fœdus meum inter me & vos, figuratâ oratione utitur; est enim synecdoche in pronomine hoc, quod in hac oratione restringendum ad Circumcisionem, & prædicatum de Subiecto dicitur metonymicè. Sensus autem verus est, Circumcisionem externam præputij esse Sacramentum seu symbolû fœderis inter Deum & fideles V. T. Hactenus ille. Ubi patum video, quid sibi velint verba, cum dicit; est enim synecdoche in pronomine hoc, quod in hac oratione restringendum ad Circumcisionem: nisi forte hoc subodoratus est, particulam pronominalem Hoc involvere simul vocem fœderis, sed accipi debere synecdochicè de Circumcisione externa præputij, non pro toto fœdere, quod spiritualem simul Circumcisionem cordium includat. Qui si ejus sensus est, mirandum profecto est horum hominum ingenium, qui aded turpiter scripturam corrumpere audeant. Sed pius & candidus animus talibus sibi persuaderi nunquam patietur: cum iis, ob solam nudam affirmationem & confidentiam suam, fidem, sine ullis, quibus nitamur, rationibus, habere, sit animi admodum ignobilis: adde, quod adeo cum toto contextu nulla sit cohærentia. Sive igitur Polani ista fuerit mens, sive alius quispiam affirmare auserit, subjectum quoq; in nostro Gen. 17. v. 10. tropicè, synecdochicè vel metonymicè, interpretandum esse: id esse arbitror, quod apud bonos & pios nulla refutatione, minus prolixa, indigeat.

§. 22. Objiciat quis forte, non posse Circumcisionem esse fœdus Domini, nec fœdus Domini Circumcisionem, proprie loquendo. Vanus timor, si quis hic sibi timeat: vanus refugium, si quisquam hoc se tueatur. Videamus breviter, quid sit ברית *Berith* Hebræorum, in usu imprimis Scripturæ. Præmittimus aliquid de Etymologia. Quanquam itaq; vocem ברית *Berith* concordantiæ Hebræorum sub radice ברית *Barath*, inusitata, ponunt, (quem quidem ordinem concordantiæ Buxtorfianæ mutare noluerunt) præcipuis tamen Lexicographis visum est ad radicem ברית *Barab* referre. Rationem

nem notationis nihilominus diversam reddunt, qui in istam derivationem consentiunt. Quidam, referente Pagnino, eandem istam radicem faciunt per ה He scriptam cum ברא Bara, per א Aleph loco tertie radicalis. Frequentissimum namque, istas literas in radicibus permutari, quæ sono parum differunt: imo in sine nullum obtinent discrimen. Et potro cum ברא Bara alicubi significet in Scriptura succidere, ברית Berith ratione nominis significare succissionem arbitrantur: Fœdus autem sic appellatum, quod in fœderum sanctionibus victimæ sint cædi solitæ. Alii, cum ברה Barah in Scriptura sub litera ה he denotet eligere, hanc ipsi significationem relinquentes, ab ea deducto ברית Berith, electionem illud se interpretari posse vi originis, statuunt. Vel quia in fœdere eliguntur certæ quædam, quibuscum fœdus ipsum erigatur, Personæ; vel quia sit res, quam duo eligunt, ut in eam conveniant; vel quia utrumque sit. Abben-Efra quidem Gen. 6. 18. scribit, ברית Berith esse consensum & rem, quam duo elegerunt. Ad rem potius, quàm ad vocem, respicere arbitror Davidem Kimchium, quando in Esa. aliquot loc. vertit per קיום דבר Kijum dabar, rei vel verbi potius constitutionem: quod & alias R. Bechai facere solet. Chaldaei quoque ברית Berith, per קיבוא Kejama transtulerunt, q. d. Constitutio vel confirmatio. Forte omnium optime vox exponitur ex Num. 25, ubi dicitur: Ecce ego do ipsi fœdus meum pacis. Ubi ex vocabulo pacis, quæ per fœdus sancitur, haberi potest, quod fœdus ipsum, quo pax vel sancitur vel confirmatur, sit res saligenda & desiderabilis: quemadmodum omnium rerum est optima, quas homini novisse datum est, ut Poëta etiam Ethnicus canit, (hæc notatio nominis ex ipsa rei natura sumpta esset, & omnino consentiret, cum significatione ipsius radicalis.) vel quod eadem de causâ, fœdus sit quædam serenatio partium dissidentium, aut saltem omnis ejus, quod dissidium generare, & serenitatem concordie obnubilare possit, remotio (sic esset ratione significationis ex ברר Barar, expurgavit, purificavit: Sicut ברר Berir, serenitas, similiter

30.

29.

28.

25.

3

2

39

4

liter ab ista radice significationem habet, at derivationem cum בְּרִית Berith, à radice בָּרַח Barah; procul enim dubio hujus quoque radici significatio cum בָּרַח Barar, communis erat.) Verum ipsam potius præcipuam vocabuli significationem inquitamus. Omnes enim conquirere non est nostri instituti. Ubi Par. comm. hujus L. (ut ejus verba jam supr. citata sunt) scribit: *Fædus proprie non est Ceremonia externa, sed est promissio gratiæ; Circumcisio proprie est Ceremonia. Non igitur Circumcisio est fædus, sed signum fæderis.* Non simpliciter rejicimus, quod בְּרִית Berith, fædus, sit promissio gratiæ: sed hoc tamen probare non possumus, quod sit promissio gratiæ in oppositione ad externam Ceremoniam. Quam oppositionem expressè facit Pareus. Rejecta itaque ista Pareana proprii fæderis definitione, nos hanc damus: בְּרִית Berith, fædus, est actio, qua disponitur certum firmumque aliquid de præstanda alteri gratiæ, benevolentiaque aut officii.

6. 23. Ut res magis dilucidetur. Dicimus. 1. Berith, Fædus, non requirit mutuam gratiam, benevolentiam aut officia, per restipulationem ab altero promissa vicissim & præstanda: vel brevius; non requirit necessario restipulationem. Pareus quidem contraniti videtur, quando fædus Circumcisionis dividit, in stipulationem, & restipulationem. Sed satisfaciat ipsi Polan. Syntagm. Theol. lib. 1. c. 30. col. 156. ubi scribit: *Vox Hebræa בְּרִית Berith, ut & græca διαθήκη & Latina Fædus, significat in genere, quamvis dispositionem, institutionem sive declarationem voluntatis, consilii, aut promissionis, aut si quid est ejusmodi, sive dispositio illa ab uno proficiatur, sive a pluribus.* Qui idem citat pro hæc sententia Gen. 6. v. 18. *stabilio fædus meum tecum, ut ingrediaris in arcam.* item Gen. 9. 9. Lev. 21. 8. Num. 18. 19. cap. 25. 12. Job. 31. 1. Imo præcipue huc pertinet Jerem. 31. 31. Dicimus. 2. בְּרִית Berith, fædus, non est ipsa res, in quam convenitur, si proprie velimus loqui: Potest autem tropice sic vocari, quia est materia fæderis. Ut declaremus & probemus hoc, maneamus in cap. 17. Gen. Res, in quam convenitur inter Deum & Abrahamum, est multiplicatio seminis Abrahami & possessio ter-
12 Ca-

3.

c. Polan

ræ Canaan. Hoc ipsum fœdus non est, ut per se patet. Dici-
 mus 3. Berith, fœdus tamen etiam non est proprie nudum tantum
 decretum, aut voluntas interna de aliqua re alteri præstanda: sed
 necesse est, ut externa promulgatio accedat, facta ei, cui præstan-
 dum aliquid decernitur. Hinc dicit Deus iterum Gen. 17. Ecce,
 fœdus meum tecum; & erigam fœdus meum tecum. & Gen. 15. 18.
 habetur; in die illa pepigit cum Abrahamo fœdus, sc. dum ipsi ap-
 paruit, cum tamen jam ab æterno decrevisset. Dicimus 4. Be-
 rith, fœdus, modo fit sine juramento, solâ seriâ & vehementi as-
 severatione & dextera porrectione: Modo cum juramento: modo
 aliis quoque intervenientibus Ceremoniis, signis & execrationibus:
 modo est absolutû ad omni conditione, modo conditionale, conditio-
 natum, sive mutui ab altero officij, aut debiti, aut honoris, aut be-
 neficij pactione, sive alicujus casus aut eventus, & si quid simile, ex-
 pectatione. Exempla sunt, Num. 25. 13. Gen. 31. 23. Ier. 34. 18.
 Gen. 9. 12. Dicimus 5. Berith, fœdus obligationem quidem gignit
 quandam ad præstandam gratiam, amicitiam, aut bonum quod-
 cunque; non tamen est ipsa obligatio. Arbitror hoc esse per se
 manifestum, nec argumentis ad probandum opus esse multis.
 Quanquam hoc nolumus negare, quod vox fœderis pro ipsa
 obligatione usurpari possit, & usurpetur.

§. 24. Applicemus jam ista ad Circumcisionis Sa-
 cramentum, videamusque, annon possit proprie esse & dici
 fœdus Domini, aut vicissim, quod fœdus Domini sit Circum-
 cisio? An v. quod Pareus vult, absurdum sit adeo, ut nescio
 quis non tropus potius fingendus sit? ubi nos statuimus & af-
 firmamus, quod Circumcisionis fœdus sit fœdus proprie sic dictum,
 nimirum tale, in quo gratia certa & firma, in futuro Messia, A-
 brahamo & Posteris eius disponitur præstanda & exhibenda. Fœdus
 est, constans stipulatione non restipulatione: si quidem hæc
 sumatur, de conditione antecedenti, meritoque sive de con-
 gruo sive de condigno. Non enim proprie sanctitas vitæ de-
 buit sequi ex restipulationis obligatione, sed voluntatis, ordi-
 nis divini, atque debiti necessitate, beneficiique summi grata
 piaque semper memoria. Profus ut in justificatione hominis
 gratuita res sese habuit, cum Sacramentum Circumcisionis nil

D

nisi

30.

29.

28.

25.

39.

4.

nisi justificationis gratuita medium salutare & sigillum extiterit. Fœdus est, cujus res, quæ per id promittebatur & exhibebatur, erat præcipue adoptio in filium, & populi sancti membrum, futuraque æternæ vitæ hæreditas; deinde typus ejus, hæreditas terræ Canaan cum cultu Levitico. Sic namque Dominus ipse Gen. 17. 2. & dabo fœdus meum inter me, & inter te, & multiplicabo te admodum valde: v. 4. Ego, ecce fœdus meum tecum & eris in Patrem multitudinis gentium. v. 6. & 7. & sanctificabo te valde admodum, & dabo te in gentes, & reges ex te exibunt. Et erigam fœdus meum inter me & inter te, & inter semen tuum in generationes eorum, in fœdus æternitatis, ut sim tibi in Deum, & semini tuo post te. Et v. 8. Et dabo tibi & semini tuo post te, terram peregrinationum tuarum, totam terram Canaan, in possessionem æternitatis, & ero ipsis in Deum. Fœdus est, non nudi decreti & voluntatis æternæ, sed solenniter promulgatum: & quidem sub certa ceremonia, circumcisionis externæ in carne præputij, tanquam per exhibitionis medium atque ipsius præstationis, atque sigillum certum futurorum promissorum bonorum. Atque hoc est quod dicitur v. 9. & 10. Si contrahamus in simplicem sensum, quæ dicta sunt, hic erit: Ecce Abraham, Dabo tibi, erigam tecum, eritq; mihi tecum fœdus, hoc est actio sancta celebrabitur inter nos, per quam ego tibi posteriq; tuus Deus ero gratus, vosq; mihi populus acceptus, simulq; promittam tibi, me in immensum auclurum semen tuum, eidemq; daturum terram Canaan. Istam sanctam fœderis actionem vos religiosè & verâ fide observabitis, nixi hac promulgatione mea, nec negligetis unquam, si gratiam meam desideratis, & populus meus esse vultis, sub certa religionis ceremonia: nam erit hoc fœdus æternum & actio hæc constans in generationes vestras. Ista autem actio fœderis est hæc, sive in hoc consistit, ut circumcidatur vobis omnis masculus. Hæc actione circumcisionis, in sanctissimâ & certissimâ unione gratiæ me vobis devinciam, atq; obstringam ad omnia ista, quæ supra dixi. Hic inquam sensus est: quem qui piè perpendit, quid, quæso, desiderabit ad fœdus propriè sic dictum? Confido sane piis mentibus satis fieri istis posse.

§. 25. In hæc sensus expositione, in qua brevis & perspicua

3.

picua simul continetur v. 10. de quo imprimis controvertetur, paraphrasis, subsistemus: ubi prius repetierimus summam eorum quę circa propositionem hanc priorem, *Circumcisio est fœdus Domini*, hætenus disputata sunt. Maneat itaque 1. quod *propositio ista non inveniatur in Scriptura*, 2. *neque etiam ei, quæ in Scriptura Gen. 17. v. 10. habetur, hoc est fœdus meum &c. ut circumcidatur vobis omnis masculus, per omnia æquipolleat.* 3. *Non tamen rejicienda, cum ex illa omnino sequatur.* 4. *modò exponatur bono & eo sensu, quem, quatenus ex Scriptura consequitur, ex eadem, ut ex fonte, accipit.* 5. *Qui hic est, quod Circumcisio sit fœdus proprie sic dictum, non nudum signum ejus.* Atque hæc de propositione priore.

MEMBRUM POSTERIUS.

De

Propositione altera.

Circumcisio est signum fœderis Domini.

§. 26. Ostensum est, superiore membro, quid sit sciendum de propositione, *Circumcisio est fœdus Domini*, quidque fœdus significet, Verum enim verò adversarii nostri putant, se meliorem omnibus invenisse expositionem, haberi que eam in ipsa Scriptura, & in sede quidem institutionis Sacramenti Circumcisionis. Versu namque undecimo expresse, quod Circumcisio sit signum fœderis, dici. Non igitur ipsum fœdus esse, sed fœderis nudum signum, sive externam Ceremoniam, per quam fœdus Domini significetur. Huic argumento multum confidunt, nec parum de eo gloriantur. Adducta sunt supra verba *Parei*, ubi scripsit: *manifestum esse ex declaratione Dei, hoc est signum fœderis mei, quod Circumcisio non sit proprie fœdus, sed signum fœderis.* Sadeel. de Sacr. Manduc. oper. p. 286. col. 2. dicit v. 11. *imprimis considerandum inter alia, quippe in quo habeatur, cur Circumcisio vocetur Fœdus, nempe quia sit signum*

D 2

fœderis

30.

29.

28.

25.

39.

4.

fœderis. Riverus ad h.l. confidenter exclamat: *Hic habemus brevem definitionem Sacramenti, quod sit signum fœderis inter Deum & homines.* Omne enim Sacramentum proprie dictum est in Genere signi.

§. 27. Ubi si largiamur ipsis, quod Circumcisio dicto versu vocetur signum fœderis Domini, nihil tamen lucrifacient; Neque enim 1. fœdus simul & signum fœderis esse Circumcisionem, inter se tam vehementer pugnant, ut unum alterum necessario destruat. Jam pridem certe ipsis monstratum est, Circumcisionem & fœdus Domini esse posse, & signum fœderis Domini. 2. Non statim signum est nudum & tale, pro quali Calviniani, adversarii nostri, pugnant, à quo res promissa tam procul absit, ut per istud nullatenus exhibeatur verè: dantur utique multa signa exhibitiva, quæ id ipsum exhibent, quod signant: dantur obsignantia, quæ tanquam sigillum id, quod signant, obsignant; Sed videam⁹ tamen etiam, num. propositio ista ipsorum, *Circumcisio est signum fœderis*, in Scripturâ habeatur? Equidem ipsis, ut apparet ex verbis eorum, nihil certius est, nihil notius. At non idem nobis perspicuum est, ut non probationem rei postulemus: imo dicimus iterum, *istam propositionem in Scripturâ non haberi.* At locum forte hic deprehendat Parei superior exceptio, æquipollentem ejus saltem in Scriptura esse, negari non posse: dicere namque Dominum ad Abrahamum *Genes. 17. v. II. Et circumcidetis carnem præputii vestri, & erit in signum fœderis inter me & inter vos.* Nec hoc videmus: si quis verò ea utitur, exponenda est, ut Scriptura non lædatur. Nos statuimus, non ipsam Circumcisionem in Scripturâ dici signum fœderis Domini, sed quod Circumcisio in carne præputii fieri deberet, factum esse, ut hæc ratione signum ipsis perpetuum esset fœderis Domini. Potuisset namque in alia quoque corporis parte fieri.

§. 28. Ut res manifestior reddatur, consideremus dictum versum undecimum cap. 17. *Genes.* ita autem habet in fontibus: *ובמלתם את בשר ערלתכם והיה לאת ברית ביני וביניכם* id est, *Et circumcidetis carnem præputii vestri, & erit in signum fœderis inter me & inter vos.* Inter interpretes, si quid differentiæ

3.

tiz est, non est ita notabile, ut eos hic committamus. Verba
 quoque non obscura sunt. De coherentia in primis lis. Ubi
 Calviniani verò nobis persuadere conantur, hic esse tantum
 expositionem ejus, quod v. 10. dictum fuit, Fœdus Domini esse
 Circumcisionem: Quod verum non esse ex sola lectione ver-
 sus apparet. Nam primò, hic novū quid occurrit, quod in præ-
 cedenti versu non habetur. Dicitur namque; *Et circumcide-
 ris carnem præputij vestri*: cum in v. 10. nulla profus loci vel
 membri, in quo Circumcisio fieri deberet, facta sit mentio, ne-
 dum membri genitalis præcisè. Nec licet dicere, quod in vo-
 ce circumcidi inclusum sit. Non enim hoc ita includi dicen-
 dum est, ut omnimoda sit æquipollentia. Hoc verò dicendum,
 quod in v. 10. Circumcisionis in genere facta sit metio, sed post
 in specie, secundum partes ea exponatur. Ita in v. 11. hæc parti-
 cula distincte habetur, quo loco facienda in corpore esset cir-
 cumcisio: sicut v. 12. traditur, quo die post nativitatem cir-
 cumcidendus omnis masculus, itemque quis per omnem ma-
 sculum intelligendus: v. 13. quamdiu observanda Circumci-
 sio. Quare continetur quidem v. 10. membrum circumci-
 dendum: sed ut sub toto, & toto quidem, quod non secundū
 partes cognitum est. Ubi verò non sufficit confusa adeo ejus
 cognitio; sed distinctior tradenda est. Hoc nisi factum fuisset,
 ignotum fuisset, quæ pars corporis circumcidenda: cum
 Circumcisio in multis membris peragi potuisset. Rectissime
 B. Lutherus noster Com. ad h. l. id observavit & annotavit: cu-
 jus verba hæc sunt. *Totus hic locus habet quinque partes: Primum
 iubet circumcidi masculos: ergo femelle à lege hac excluduntur: gen-
 tes quoque, quæ non sunt semen Abrahæ, aut in domo Abrahæ. Ver-
 bum (Mol) ambiguum est. Psal. 118. significat, gladio succidere,
 sicut solent succidi arbores. Vt diserte res ostendatur, addit inci-
 dendam s. præcidendam carnem præputij, ita ut reliqua membra
 corporis totius maneant illæsa. Ea secunda pars hujus loci est, quod
 Deus hanc corporis partem solum deligit. Hactenus B. Lutherus:
 cum quo convenit, quod Dn. Brenzius habet Com. h. l. Deinde
 distincta sunt membra hujus v. 11. duo: pius est: & Circum-
 cide-*

erit enim carnem præputij vestri: posterius, & erit in signum fœderis inter me & inter vos. At in v. 10 est unica tantum propositio: quam si nudè exponere voluisset, dixisset potius: *Circumcidi, inquam, præputium carnis vestræ, erit signum fœderis inter me & inter vos.* Sic manifestum extitisset, verbum posteriorem prioris exponendi gratia positum esse. Jam v. cum tantum sit discrimen, videndum potius est, ut quocunq; modo utiliter interpretemur. In primis quia etiã tertio talis expositio propositionum sacramentalium inusitata sit, & institutiones, quæ breves & perspicuæ esse debent, repetitiones ejusdem non necessarias habere non soleant. Itaque non video, quare dicendum sit, aut concedendum, quod versus hic 11. antecedentis 10. tantum sit expositio.

§. 29. Ut itaque nostram de cohærentia promamus sententiam, observamus, duo esse versus 11. membra: prius; *& Circumcideris carnem præputij vestri: posterius; & erit in signum fœderis inter me & inter vos.* De qua versus distinctione jam supra mentio facta est: eademque in Hebræo Codice per accentum Athnach docetur. Prius membrum cum v. 10. immediatè cohæret; quemadmodum sese verba utriusque versus immediatè consequuntur. Qua ratione cohæreant, jam superior §. declaravit: nimirum v. 10. Sacramentum s. fœdus Domini descriptum, quod esse deberet Circumcisionis omnis masculi: Hoc in genere dictum, secundum certas partes ulterius exponendum est. Quemadmodum e.g. si infidelem informaturus de Sacramento initiationis N. T. dicerem: Nos Christiani in ipsa statim infantia nostra in sanctissimum Domini Dei nostri fœdus recipimur: fœdus autem hoc est, quod baptizamur. Vbi unico verbo totum dicerem Sacramentum atque fœdus: & in genere quidem per ipsam vocem, cujus notissima per se in Lingva sua (ut Circumcisionis in Hebræa lingua) significatio, res expositione non indigeret, & quid in usu suo baptismus esset, dictum esset, sc. fœdus Domini. Subjicerem itaque ea, quæ ex ipsa vocis Baptismi aut fœderis quoq; significatione, non ita clarè haberentur: ut est, quod Baptism⁹, qui variis liquoribus fieri posset, perageretur aqua. Hinc pergerem:

derem: Fit a. Baptismus noster aqua: vel, Bapizamura. aqua.
Eadem omnino in textu Mosaico nostro est ratio: & est res
simplicissima. *Hoc est fœdus meum*, inquit Dominus, *quod ser-*
vabitur inter me & inter vos, circumcidi vobis omnem masculum,
(qua verò in parte? neque n. hoc vox Circumcisionis ipsa ex-
plicat, nec vocabulum fœderis) *Circumcideris a. Carnem præ-*
putii vestri. Atque hoc est id ipsum, quod ex B. Luthero &
Brentio citavimus & produximus. Ubi simul laudandum in
B. Lutheri versione, quod transferendo copulam Hebræorum,
quæ sapissime adverbativa est, per adverbativam germanicam
nostram, *Aber/ (thr solt aber die Vorhaut an ewrem Fletsch be-*
schneiden.) sensum hunc non parum adjuverit.

§. 30. Quod porro ad posterius v. 11. membrum attinet,
artissimè cohæret cum priore, ita ut subjectum suum ex eo re-
petat. *Et erit in signum:* inquit Dominus. Quid ergo erit in si-
gnum? nisi id quod præcessit, in, *circumcideris a. carnem præ-*
putii vestri: ut omnino hæc circumstantia, quod circumcisio
in carne præputii fieri debeat, sit signum fœderis. Subjectum
petere ex. v. 10. ubi Circumcisio tota habetur, & Sacramenti
integri mentio facta, per voces, *Circumcidi vobis omnem mascu-*
lum, est omnino salus contra regulas bonæ interpretationis.
Quæ namque, quæso, causa esse possit, quare divellam proxi-
mè & artè conjuncta, & jungam manifeste disjuncta?
Nullo certe modo hoc probari potest, aut debet. Quod cum
jam Calviniani faciunt (de quo mox plura) ut extirpant, quam-
vellent, nec in textu tamè inveniunt, propositionem, *Circum-*
cisionem ipsam, sive Circumcisionis Sacramentum in se esse
signum fœderis Domini, nonnullam textui vim inferunt.
Præsertim cum tam egregia, modo textus sobriè consideretur,
sit connexio. Nam postquam distum est, quod membrum in
Circumcisione esset circumcidendum, prævidebatque satis sa-
pientia Divina, quàm absurda res foret humanæ rationis im-
becillitati: statim subjungit causam, quare id fieri vellet. Sum-
pta verò hæc est causa, à certo fine & usu, quem Sapientia Di-
vina sapientissime intenderet: ut inde haberent per omnem
vitam signum fœderis, sive monumentum ejus præcipuè rei.
super

super quâ fœdus erectum esset. Voluit, inquam, Dominus, ut haberent fideles Circumcisi semper, tum in ipsa Circumcisione, tum post Circumcisionem, materiam sanctæ piæque meditationis, quærerentque ex hâc materia considerationem ipsius Sacramenti, commonefaciente eos, relicto in membro genitali, vulnere & cicatrice, quando & quomodo, quemque in finem facta Circumcisio, & quid sibi ea præstiterit, sc. quia Deus gratiosè constituit, dare per Circumcisionis fœdus gratiam pacemque, propter Messiam ex Gente & sanguine Patris Abrahami nasciturum, in superque promisit, se Abrahamum daturum in Patrem multarum gentium, multiplicaturumque; semen ejus valde: voluit hoc generationis membrum, & non aliud circumcidi, ut membrum generationis esset signum, Messiæ ex semine Abrahamico nascituri, cui omnis inniteretur gratia Dei, & seminis Abrahamici multiplicatio. Atque hæc sunt illa, quæ ipsum fœdus Circumcisionis continebat, ut patet ex prioribus capituli versibus. Hinc dicitur hoc signum esse signum fœderis, i. e. ipsius Circumcisionis. Quando itaque dicit Dominus; *Circumcidetis a. carnem præputii vestri, & eris in signum fœderis inter me & inter vos*, sensus est q. d. *circumcidetis a. carnem præputii vestri: quo in membro fieri Circumcisionem propterea volo, ut sit hic Circumcisionis locus & vulnus vobis perpetuum signum, admonens vos, quale Circumcisio ipsa, à me instituta, fœdus sit: quo nimirum vobis gratiam meam & pacem, propter Christum ex vobis nasciturum, reverà consero, vosque in filios meos recipio, Christum quoque ex vobis certissimè nasciturum, meque semen vestrum, imprimis sub N.T. in Spirituali Israël, in carnali verò etiam in terrâ Canaan, multiplicaturum, confirmo.* Hæc paraphrasis totius versus est.

§. 31. Sic habemus causam ab ipso Deo expositam, quare Deus in membro genitali Circumcisione instituerit. Res non parum necessaria ipsi Sapientiæ divinæ visa est. Cujus necessitatem quoque id, quod per omnia secula V.T. contigit, probavit abundè. Omnibus siquidem ætatibus Ecclesiæ Judaicæ objecta est per calumniam, quædam Sacramento tam sancto afflicta obscœnitas, quæ nulla bona ratione excusari aut defen-

di pos-

33.
 di possit. Ubi Judæi valde laborarunt, ut qualescunque causas divinx institutionis honestas conquirent. Quare si optimam rei causam ipsi Scripturæ non inseruisset, videri posset sibi ipsi non satisfecisse sapientia divina. Procul autem dubio in una ista & sapientissima ratione pia mens acquiescere potest: estque ea talis, ut non immerito omnium dici possit potissima. Interim planè non rejicimus pias aliorum rationes, quibus ostenditur, quare ad Circumcisionem electum fuerit membrum generationi destinatum: quin potius hæ omnes in istâ, quam Scripturæ esse diximus, fundatæ sunt. Pleraque saltem B. Lutherus noster habet Com. ad Gen. 17. ubi sic scribit. Quod autem præputij carnem Deus circumcidi, ac lege membrum, ut vocamus, turpitudinis, quod pertinet ad generationem totius generis humani, apprehendit, ac non vel particulam auris, vel labii, vel capillum, vel barbam, qua honesta membra sunt, & conspectum hominum non fugiunt, de eo disputat Magister sententiarum, quod Deus voluerit significare majorem hujus membri abusum & inobedientiam, quam reliquorum. id quantum valeat, alii judicent, &c. Ergo hæc verior ratio est: Hoc membrum est membrum propagationis universæ carnis, & tantum generationis causa conditum est. Ideo id apprehendit Deus, ut significetur peccatum Originale (& non Actuale.) quod ingentum est nobis, & nobiscum accrescit. Hæc causa est, cur masculus damnetur in eo membro, unde dicitur masculus, & tamen non est verè hæc damnatio: magis est comminatio & offensio iræ: videtur enim damnare Deus totum membrum, & tamen conservat eius usum &c. Et post: significatur a hic mysterium incarnationis Filii Dei. Propter unam n. Virginem Mariam, ex quâ nascendus erat Christus, parit toti sexui femineo, & tantum masculi ad Circumcisionem flagitantur. Futura enim erat femina, quæ sine viro pareret. Propter hæc parit Deus toti sexui, & lege hæc in speciem stulta tantum onerat masculos. Circumcisio igitur tale signum fuit, in quo Deus totam Theologiam adumbravit, hoc est peccatum & gratiam in utroque sexu. Hæc Lutherus: quæ alii plura, adferre abstinemus.

§. 31. Objicitur fortè nobis locus Paulinus Rom. 4. v. II. ubi dicitur: καὶ σμειῖον ἔλαβε (ὁ ἀβραάμ.) περιτομῆς, ὡς φερύδαξ τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, τῆς ἐν τῇ ἀνομοσίᾳ: id est; & signum accepit

E

pit

pit, (Abraham.) circumcissionis, sigillum iustitiae fidei, quae jam e-
 rat in praeputio. Hic namque sine dubio respicere Apostolum
 ad locum nostrum Genes. etiam quoad phrasin. Hinc voca-
 re Circumcisionem signum & sigillum: nimirum, quia & Mo-
 ses ita appellaverit, vel Dominus potius apud Moesem, dicens,
Et erit in signum foederis inter me & inter vos. Quemadmodum
 igitur Apostolus totum Sacramentum Circumcisionis, non u-
 nicanam istam circumstantiam membri circumcidendi, vocave-
 rit signum & sigillum: sic Deum quoque appellasse totum Sa-
 cramentum signum foederis Dominici. Verum enim verò
 non arbitramur, Apostolum nobis ob stare, aut eum merito
 nobis opponi. Habet equidem Apostolus Paulus in verbis
 suis *σημεῖον περιτομῆς*, signum Circumcisionis: vocat illud *σημεῖον
 τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως*, sigillum iustitiae fidei: sed unde probabi-
 tur, quod nobis interpretari voluerit, quid velint verba Mosa-
 ica? *Et erit vobis in signum foederis inter me & inter vos.* Dentur
 argumenta satis id probantia, & assurgemus. Certè Apostolus
 nil de hoc dixit, quod vellet nobis ea interpretari. Sed & ratio-
 nes sunt, quare noluisse eum, dicamus & statuamus. Habet
 namque *σημεῖον περιτομῆς*, signum Circumcisionis: habet *σημεῖον
 τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως ἐν τῇ ἀρχαίᾳ*, sigillum iustitiae fidei, quae
 erat ipsi jam in praeputio. At Deus apud Moesem signum, quod
 vocat, non facit signum Circumcisionis: neque signum iusti-
 tiae fidei, quam Abraham jam habuerit in praeputio suo. si quod
 Paulus habet, Moesem quoque haberet, signum Circumcisi-
 onis, vel sigillum iustitiae, non multum contraniteremur: jam
 v. apud Moesem est signum foederis inter me & inter vos. Quod
 si Paulus nobis interpretari voluit, quare non etiam vocabu-
 lum foederis interpretatus est? si citare voluit, quare potissi-
 mam vocem foederis omisit? aut num *περιτομή* posita est pro
 foedere, quod sit ipsum foedus? Hoc quidem admittere, nobis
 prodesset potius, Calvinianis non parum obesset. Jam v. et-
 iam iustitiae fidei, quamvis includatur in foedere Circumcisi-
 onis, quoad rem ipsam, tamen ipso suo nomine procul dubio
 respicit Gen. 15. v. 11. ubi dicitur: *credidit Abraham Deo, & im-
 putavit ipsi hoc (Deus) in iustitiam*, quem etiam locum Paulus
 non tantum citare amat, sed & eodem cap. 4. Rom. v. 3. alle-
 gave-

gaverat. Arbitramur itaque potius Paulum iustitiam fidei sumplisse ex dicto loco *Gen. 15. 11.* Circumcisionem vocare *σημα* sigillum ejus iustitiæ ex sensu institutionis *Gen. 17. v. 10.* totius, non præcisè ex voce signi *v. 11.* Ipsam rursus Circumcisionem dicere *σημα* *πελοπις*, *signum Circumcisionis*, usitatum inter Judæos nomine: quemadmodum Stephanus *Act. 7. v. 8.* eandem nominat *σημα* *της* *πελοπις*, Testamentum circumcisionis. Cujus *v.* nominis origo inde nata esse statui potest, quia post ipsum actum Circumcisionis aliquod signum ejus relinquebatur, per quod ut actus quondam præsens in memoriam revocabatur, ita actus præteritus ab eo denominabatur. Possimus forte etiam hoc dicere, quod Apostolus per signum Circumcisionis externam Ceremoniam intellexerit, qualis, & nuda quidem, tam erat Circumcisio infidelium Judæorum, quem fidelibus subinde obtrudere conabantur, distinxeritque eam diligentissime ab ipso toto Sacramento, ut ostenderet verum ejus usum, quo non pro nudo externo signo aut ceremonia habenda esset, sed à Deo ipso Sacramentū obfignans iustitiam fidei facta: aut signum & sigillum (quod *Dn. D. Gerh.* statuit) unum idemque sunt, & eodem supra dicto fundamento ex institutione Circumcisionis sumpta. Possent forte & alia dici: sed ad finem hujus nostræ disputationis contendimus.

§. 32. Ex his igitur jam sufficienter patere arbitror, propositionem, *Circumcisio est signum fœderis Domini*, non esse ipsius Scripturæ: sed nec ei, quæ in Scriptura est, æquipollentem. Hanc enim æquipollentem esse, quod circumcidetur caro præputii vestri, id signum erit fœderis mei (admonens vos sc. quid sibi fœdus meum, quod est ipsa Circumcisio, velit.) vel, Locus Circumcisionis in carne præputii est signum fœderis Domini, sive ipsius Circumcisionis. § *v.* si porro quærat, an non ex propositione Scripturæ sequatur? Videndum est, an sensum sensui scripturæ congruum habere queat; Scripturæ, inquam, quæ *v. 11. Gen. c. 17.* continetur. Ubi vix comoda datur expositio. Dicendum namque, esset, Circumcisio est signum fœderis Domini, id est, Circumcisionis locus aut membrum circumcidendum est signum fœderis Circumcisionis.

nis. Atqui si qua ratione fieri poterit, ut Circumcisionis vox pro membro Circumcidendo, aut loco circumcisionis in corpore sumatur, profecto tamen est durissima locutio, nec facile admittenda. Sit itaque hæc potius Ecclesiastica propositio, sub optimo sensu orthodoxæ antiquitatis, & hodiernorum Orthodoxorum Ecclesiæ Doctorum: sensu, inquam, institutioni dominicæ convenienti & analogo. Quâ ratione dici poterit: *Circumcisio est signum fœderis Domini, i. e. Circumcisio est talis res, in quâ est signum externum visibile, quod signat rem occultam invisibilem, & quæ tantum intelligitur, in eâ esse.* Juxta id, quod *Origines* dixit (citante *D. Mylio* ad Rom. 4.) *benè Circumcisionem signum appellavit (Paulus) quia & in ipsa aliud videbatur, aliud intelligebatur.* Cum quo contentit illud *Augustini, in Sacramentis, inquentis, aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Aut sic: *Circumcisio est signum fœderis, id est, Circumcisio est sigillum fœderis: ut signum & sigillum fœderis sint, unum & idem.* Nam *Dn. D. Gerb. p. m. T. 4. LL. CC. de Sacram. in gen. §. 87. p. 611. ait, signum & signaculum etiam apud Paulum Rom. 4. v. 11. se invicem declarare, adeoque unum & idem esse.* Et si quæ aliæ tales propositionis illius fidei orthodoxæ analogæ explicationes dari possunt.

CONCLUSIO.

§. 33. Quæ omnia hæctenus circa utramque propositam Propositionem disputata, cum se ita habeant: concludimus pauois, *Adversarios nostros Calvinianos utraque turpiter abuti: dum nobis. 1. obrudunt, quasi in Scriptura ipsâ, saltem in equipollentibus, habeantur: cum tamen altera ex Scripturâ demum sequatur, altera vix ulla ratione bonæ consequentiæ elici queat, aut sensum Scripturæ admittere. 2. Nos simpliciores in primis, decipere conantur, quasi una alteram explicet; cum tamen sint diversissimæ, nec de una re loquantur; sed prior de toto Circumcisionis Sacramento, altera de ejus unica circumstantia informet. 3. Istis propositionibus sensum suum ex cerebro humano haustum, & extra, imo contra Scripturam excogitatum, affugunt: 4. Hoc fundamentum ponunt, ad corrumpendam totam orthodoxam de Sacramentis etiam N. T. doctrinam.*

quæ

quasi in his nihil esset præter nudum externum signum absq; re cele-
sti: & si res cælestis de iis prædicetur, sit tantum metonymica locu-
tio, quâ signum pro re signatâ ponatur, vel talis tropica, qua est
per significat exponendum?

Profus, quemadmodum eandem fraudem, vel errorē
saltem, eruditissimæ & subtilissimæ suæ ignorantæ commit-
tunt in explicanda propositione Exod. 12. v. 11. Pasach hoc est Do-
mino. Ubi primò ponunt, urgent & contendunt, eandem
istam esse cum hac, Agnus Paschalis est transitus Domini, ut in
hâc speciosum aliquem tropum fingere possint, & dicere eum
se ex ipsa Scriptura didicisse: scùm tamen hæ duæ propositi-
ones toto cælo inter se distent, ut aliàs ostensum.

Finimus jam cum bono Deo: Cui sit, Laus, honor &
gloria in sempiterna secula, Amen.

APPENDIX.

§. I.

Cum chartæ restaret aliquid, ad eam complendam
visum est appendicis loco subijcere, quæ prius bre-
vitatibus studio omissa, ad rem tamen aliquid facere
videntur. Diximus supra §. 12. quod fœdus per to-
tum c. 17. nostræ Geneseos unum idemque sit, scilicet Fœ-
dus circumcisionis. Diximus iterum §. 17. *תַּבְרַח*, Hoc, re-
spicere *ברית* Berith, fœdus, illudque reportare, siue ponatur
subjecti siue prædicati loco, h. m. Hoc fœdus est fœdus meum, vel,
fœdus meum est hoc fœdus. Utrumque verissimum esse, poterit
ex LXX. Interpretibus quoque disci. Nam 1. reddiderunt sta-
tim v. 2. *תַּבְרַח ברית* Berith, per *διαθήκην*, Testamentum, fœdus, cum
articulo. *καὶ ἐποίησα τὴν διαθήκην με ἀγαμέσων ἐμῶ, καὶ ἀγαμέσων σε
καὶ πληθυνῶ σε σφόδρα*: Et posui fœdus meum inter me & inter te:
& multiplicabo te valde. Apponunt autem articulum statim ab
initio, quia certum & mox nominandū fœdus proponitur.
In consequentibus versibus omnibus verterunt eodem planē
modo *διαθήκην* cum articulo, qui hoc casu vim habet relativam,
& emphasin non contemnendam, possetque semper reddi ar-
ticulus per illud, hoc modo; *καὶ ἰδοὺ, ἡ διαθήκη με μετὰ σε*: v. 4. Ec-
ce, fœdus illud meum eris tecum & v. 7. *καὶ σήσω τὴν διαθήκην με*

ἀναμέσον ἑμῆ, καὶ ἀναμέσον σε, Et constituam illud fœdus meum inter me, & inter te &c. v. 9. οὐ δὲ τὴν διαθήκην μὲ διαληψίσεως, Tu fœdus illud meum servabis &c. Et jam v. 10. καὶ αὐτὴ ἡ διαθήκη, ἢ διαληψίσεως ἀναμέσον ἑμῆ καὶ ἀναμέσον σε &c. Et hoc est fœdus illud meum, quod servabis inter me & inter te &c. Judicium certè doctis audemus committere. 2.v. 10. (qui modò citatus est) ita verterunt; ut nullum dubium superesse possit, quin statuerint, pronomen **אני** Soth, nomen **ברית** Berith, in textu Hebraico, includere. Quid enim est, quod habent? καὶ αὐτὴ ἡ διαθήκη, ἢ διαληψίσεως ἀναμέσον ἑμῆ καὶ ἀναμέσον σε, Et hoc est testamentum, seu fœdus, quod servabis inter me & inter te &c. Certe omnibus constare potest, quod non fuissent posituri τὸ αὐτὴ in fœminino, nisi respexissent ad subsequens διαθήκης vocabulum, quod generis fœminini est similiter: & quod non fuissent respecturi ad vocabulum διαθήκης, nisi observassent, quod prius in Hebræis fontibus talis respectus pronominis **אני** Soth, & nominis **ברית** Berith, extitisset. Atque hoc alibi quoque observarunt. Levit. 16, 9. **אֵלֶּךָ** ὁ νόμος τῆς ὁλοκαυτώσεως, Hæc est lex holocausti. v. 13. **אֵלֶּךָ** ὁ νόμος τῆς θυσίας, Hæc est lex sacrificij. v. 20. τὸ δῶρον Ἀαρὼν, hoc est munus Aaronis. Jerem. 31, 33. **ὅτι αὐτὴ ἡ διαθήκη**, Quoniam hoc est fœdus, quod feriam cum domo Israel &c.


§. 2. Conferri hic quoque potest Onkelus Chaldæus paraphraistes, cujus quantacunque aliàs sit autoritas, in intelligenda lingua non est contemnenda. Hic observavit, quod unum esset fœdus I. per totum caput, & accuratè secutus est Hebraismum. (1.) in hoc, quod semper dicatur, fœdus meum inter me & inter te, aut inter vos, aut tecum: unde v. 4. reddidit τὸ **אתך** itách, per **עמך** immách, tecum; aliàs semper **בין בריתי וביניך** Ben Mejmeri, u-bén-ath, inter verbum meum, & inter te. v. 2, 7, 10. (2.) in eo, quod particulam **את** eth notam accusativi, quæ non sine emphasi ponitur, & si eadem vox, cui additur, præcessit, relativæ particulæ vim obtinet, diligenter expressit, v. 7. **יה ראקים** ve-akim jath kejami; Et constituam istud fœdus meum inter Verbum meum & inter te. v. 9. **יה ראקים אתך** ve-arth jath kejami titt ar, Et tu istud fœdus meum servabis, &c. Observavit II. etiam, quod pronomen **אני** Soth, fœmininum, respiciat nomen fœmininum

num בריתי Berithi, fœdus meum. Hinc in sua lingua similiter pronomen & substantivum nomen, Hebræis respondentia, in eodem genere, masculino scilicet, conjunxit vertens: דין די תטרון den kejami, di ditteun, Hoc est fœdus meum, quod servabit is. כיימ קיימא kejam vel קיימא kejama est masculinum: ideo דין Den quoq; masculino usus est.


§. 3. R. Moses Majmonides, quod fœdus pro uno & propriè sic dicto acceperit, constare potest ex Moreh Nebachim p. 3. c. 49. Ubi hæc leguntur ex versione Buxtorfiana p. 505. Insuper constat, quam intense mutuè sese ament & adjuvent ejusmodi homines, qui commune aliquod signum habent, quod fœderis formã habet. Sic verò circumcisio fœdus est, quod pepigit Abraham pater noster super fide unitatis Dei; & omnes, qui circumciduntur, ingrediuntur in fœdus Abrahami, credendo unitatem, sicut dicit Deus; Ero tibi in Deum, & semini tuo post te. Atque hæc ratio (quare circumcisio facta sit) aequè firma & valida est ac prior (quam ibi præmiserat,) & fortassis adhuc firmior. Allegat hic ipsa textus Mosaiici verba; Ero tibi in DEum, & semini tuo post te; quæ habentur v. 7. & quibus præmissa sunt hæc; Et erigam fœdus meum inter me & inter te &c. Super his verbis Rabbi dicit, Abrahamum patrem pepigisse cum Deo fœdus. Itaque ista verba comprehendunt rem, in quam convenitur: plane ut nos supra diximus §. 12. disputationis nostræ. Quid enim est aliud fides unitatis Dei? quam fides habita verbis istis; Ero tibi in Deum (solus,) & semini tuo post te. (Fides, inquam, unitatis Dei, quoad essentiam: non exclusis, quod Judæi fieri putant per unitatem Dei, personis tribus) Jam verò Majmonides expressè dicit, quod Circumcisio sit illud fœdus, in quo conveniatur in fidem unitatis Dei. Certè clarissima verba ejus sunt; sic verò circumcisio fœdus est, quod pepigit Abraham pater noster super fide unitatis Dei, & omnes, qui circumciduntur, ingrediuntur in fœdus Abrahami, credendo unitatem. Est itaque Circumcisio fœdus, cujus mentio facta est Gen. 17. v. 7. nec est nudum signum, sed ipsum fœdus: quique circumciduntur, in fœdus hoc ingrediuntur. Optimè quoque dictum est, quod Rabbi subjecit, quod hæc firmior ratio sit, quare Dominus Abrahamum cum posteris suis circumcidi voluerit & præceperit;

§ 4. *Raschi* sive *R. Schelomoh Iarchi* in notis suis ad Caput 17, *Genes.* quoque habet, quæ huc faciunt. Statim v. 1. ad verba, *Ambula coram me, & esto integer*, producit *Medrasch*, sive antiquam *Rabbinorum* interpretationem, qua ista verba ad circumcisionem referuntur, adeoque ipsum statim capitis initium de circumcisione agere statuitur. *Et secundum Medrasch eius*, inquit, (hoc vult Dominus;) *Ambula coram me in præcepto circumcisionis, & hac ipsa re eris perfectus; nam omni tempore, quo præputium est in te, tu vir macula* (id est, imperfectus & peccatis maculatus) *es coram me.* v. 2. ad verba; *Et dabo fœdus meum inter me & inter te &c.* hæc *Schelomonis* glossa est; *Fœdus amoris* (sc. dabo inter me & inter te) *& fœdus terra, ut eam tibi hæreditati dem per præceptum hoc* (sc. circumcisionis) v. 9. ad verba; *Et tu servabis &c.* hanc ponit interpretationem: *Vav, Et, hoc refertur ad priora verba* (v. 4.) *Ego, ecce fœdus meum tecum: sed tu* (vult Dominus nunc dicere) *esto studiosus ad observandum illud. Et quæ est observatio eius?* Hoc est fœdus meum, quod servabitis, circumcidi vobis &c. Manifestum est, quod his Rabbi dicat, idem esse fœdus Domini v. 4. & quod Abraham servare debeat v. 9. Insuper dicit, id observari, si quis circumcidatur. *R. Abraham Aben-Esra*, quamquam de fœdere nihil ferè (quia forte putavit, rem satis claram:) tamen ad, *Esto integer*, ita annotat; *ne quaras, ut quid circumcisio?* ostendit verò istoc, quod jam ab initio Dominus insinuaverit circumcisionis mentionem. *R. Moses Nachmanides* ad v. 3. sic commentatur; *Et sensus t̄, & cecidit Abraham super faciem suam, hic est*, (quod id fecerit) *ad disponendum animum suum ad prophetiam: at postquam absi. Iste* (Dominus) *ipsi prophetiam præcepti de circumcisione, surrexit Abraham, & stetit &c.* En! hic quoque Rabbi facit prophetiam de circumcisione statim y. 1. & 2. à Domino innui, & Abrahamum jam v. 3. se ad eam disponere, sed manifestius adhuc est, quod mox subjungit ad verba; *Ecce fœdus meum tecum, & eris in patrem multitudinis gentium: hoc*, inquit, *est fœdus circumcisionis; nã exponit hoc signum fœderis, & post fœdus hoc* (vult dicere) *eris in patrem multitudinis gentium.* Mox adducit *R. Schelomonis* verba de observatione fœderis supra adducta, & approbat. *R. Bechai* post longam disputationem de nomine *Schaddaj*, & quare eo Dominus in præcepto circumcisionis uti voluerit (quo suo discursu satis ostendit, quod ab initio capitis inceperit Dominus loqui de circumcisione) recitat ex *Bereschith rabba* hunc *Medrasch*; *Ego Deus Schaddaj, dixi ipsi* (Abrahamo) *si tu acceperis circumcisionem, bene: sin, dicam mundo, sufficit: si tu non acceperis circumcisionem, sat est mundo meo habere us* (satis diu stetit,) *sat est præputio* (satis diu fuit) sed subsistendum est: constat n. satis, quæ Hebræorum quoque sententia.


F I N I S




3.



3.)



3.





37.

ש ה ם ש ב
CITATIO

IN
ULTIMUM PRO-
Æ ULTIMI.

Quam
annuente gratia

RÆSIDIO
Reverendi, Amplissimi
Excellentissimi,

SARIS SCHEIDII,
CTORIS ET PROFESSO-
berrimi Patroni & Præcept. sui
num venerandi.

ntilationi proponit


DRUS MAURITII,
co-Marchicus.

niem Augusti.

NTORATI,

STÆDELI ACADÉ-
TYPOGRAPHI.

DC LXIV.



2
39
4

D